TRACTATVS
DE PROMOVENDIS EPISCOPIS.

AVCTORE
SEBASTIANO MEDICE
I. C. Florentino, ac Prouinciȩ
Marchiæ Rotæ Prætore.

Bibl. Secr. Coll. Rom. Soc. Jesu



MACERATÆ,
Apud Sebaſtianum Martellinum.
M. D. XCI.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BEATISS. PATRI, AC SANCTISS. D. N. D. GREGORIO XIIII. PONT. OPT. MAX.

Sebaſtianus Medices Fœl. D.

CVm nihil ſit, quod Rei publicæ Chriſtianæ magis interſit, aut magis etiam ad veram pietatem, & Dei cultum firmandum, & propagandum conferat, quàm eorum exempla ſectari, qui ſe diuino miniſterio addixerunt, illorum præſertim, qui veluti Ciuitas ſupra montē poſita omnium oculos in ſe conuertunt; prudenter admodum factum eſt, vt ij gubernādis Eccleſijs præficiantur, qui non minus ob dignitatem veneratione, quàm ob morum præ

ſtantiam imitatione dignos ſe præbeant. Quòd cum ipſe cogitarem, operæpretium facturum exiſtimaui, ſi quæ De Promouendis Epiſcopis in Pontificum, Conciliorum, & patrum orthodoxorum monumentis, varijs locis tradita ſunt, in vnum congererem, in ordinemque redigerem. Opus abſolutum quantum mihi per ocium iudicandi muneris licuit, Sanctitatis tuæ pedibus ſubijcere volui, laborem hunc, qualiſcunque ſit, te non deſpecturum confiſus, cum virtutum tuarum, quaſi compendium, & tui ipſius effictum exemplar agnoueris. Deus Optimus Maximus eum vitæ, & fœlicitati tuæ largiatur acceſſum, quem dignitatis apice conſequutum videmus, & lætamur.

IN-

INDEX.

ABſoluere promptior quam condemnare debet eſſe Epiſcopus. 248
Apoſtoli regula. 25
Appetere epiſcopatum an ſit licitum. 30
BEneficium an habere poſsit clericus coniugatus. 169
Bigamia an inducit irregularitatem, & ibi latè diſcutitur de ea. 58
CLericus coniugatus an poſsit habere beneficium eccleſiaſt. 169
Clericus an poſsit in domo retinere mulieres. 173
Continentia clericorum. 149
Cupiditas damnatur in clericis. 283
Cupiditas radix omnium malorum. 285
DOctorem oportet epiſcopum eſſe. 189. & 190.
EBrietas deteſtatur. 68
Ebrietas maius peccatum in clericis, quam in laycis. 81
Electio an debeat fieri melioris. 49
Epiſcopus quid ſignificet. 28
Epiſcopus irreprehenſibilis. 33
Epiſcopo requiritur ſanctitas vitæ. 35
Epiſcopus ſine crimine eſſe debet. 46
Epiſcopus qualis eligendus. 49
Epiſcopus non bigamus. 58
Epiſcopus ſobrius. 78
Epiſcopus prudens. 91

Epi-

Epiſcopus ſecularibus literis præditus. 103
Epiſcopus ſecularibus negocijs eruditus. 118
Epiſcopus ornatus. 120
Epiſcopus hoſpitalis. 135
Epiſcopus pudicus. 147
Epiſcopus eſſe debet Doctor. 188
Epiſcepus prædicare debet. 198
Et qualiter latiſsime. 200
Epiſcopus non percuſſor. 241
Epiſcopus vtitur miſericordia, & iuſtitia. 248
Epiſcopus an poſsit totam pœnam delinquenti dimittere. 256
Epiſcopus an poſsit punire in ſe delinquentem. 258
Epiſcopus non ſit negligens in corrigendo. 262
Epiſcopus non litigioſus. 270
Epiſcopus non cupidus ſit. 283
Epiſcopus domui ſue benè præpoſitus. 290
Epiſcopus non Neophitus. 295
HAbitare cum mulieribus quando liceat clericis. 169
Habitus clericorum qualis. 128
Hoſpitalem epiſcopum eſſe oportet. 135
IGnorantia an ſit peccatum in ſacerd. 97
Irreprehenſibilis debet eſſe epiſcopus. 33
Iuſtitia, & miſericordia vtantur prælati. 248
LITIGIVM damnatur in clericis. 269
MIſericordia, & iuſtitia vtuntur Prælati. 248
Moribus cum quibus viuimus quando

con-

conformari debeamus. 129
NEOPHYTVS quis dicatur. 296
OCium ſanctum quærit charitas. 27
Opus bonum quod dicatur. 27
Ordo ſacer impedit matrimoniũ. 149. & 163
Ornatum oportet epiſcopum eſſe. 120
Ornamenta epiſcopalia quæ ſint. 120
PRædicationis regulæ traditæ quamplurimæ latè diſcutiuntur. 295
Prædicationis taciturnitas in prælatis eſt peccatum. 198
Promouendorum qualitates. 35
Promouendus quomodo ſine crimine debeat eſſe. 46
Promoueri an debeant meliores. 49
Prudentem oportet eſſe epiſcopum. 91
Pudicus debet eſſe ſacerdos. 147
SAnctitas vitæ requiritur in promouendis. 35
Secularium negotiorum, an peritiam ſacerdos habere debeat. 118
Secularibus literis an oporteat eſſe ſacerdotem eruditum. 103
Sobrius debet eſſe epiſcopus 68
Sobrietatis materia vſus vini. 78
Sobrietas magis requiritur in epiſcopis, quam in alijs. 83
VIrtutes epiſcoporum quæ debeant eſſe. 49
Votũ continentiæ ordini ſacro annexũ. 149
Vſus vini an ſit licitus. 81

FINIS.

Ca-

Catalogus Auctorum in hoc operæ citatorum.

ALbertus Magnus
Alexan. de Alex.
S. Ambroſius.
S. Antoninus.
S. Auguſtinus.
Ariſtoteles.
Alexand. III. Papa.

BIblia.
S. Bernardus.
S. Bonauentura.

COncilia diuerſa.
Cõſt. Apoſtolicæ
Caſsiodorus.
Cicero.

DIonyſius Areopagita.
Durandus.

GLoſſa ord.
Gratianus.
S. Gregorius.

HOſtienſis.
S. Hieronymus.
Hugo de S. Victore.

S. IOannes Chriſoſtomus.
Ioannes à Turrecr.
Iſidorus.
Innocentius III.

LEO Papa.

NIcolaus de Lyra.

ORIGENES.

PROSPER.

RABANVS.

S. THOMAS.

VALERIVS Max.

ZEpherinus Papa.

TRACTATVS DE PROMOVENDIS EPISCOPIS,

Autore Sebaſtiano Medice Florentino Doctore.

QValem oporteat eũ eſſe, qui in Epiſcopum eſt ordinandus diligẽter inueſtigemus, Apoſtoli regulam ſecuti, qui in huiuſmodi re. 1. Timo. 3. ſcribit dicens. 25. diſt. p. 3.

FIdelis ſermo, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonũ opus deſiderat. Oportet enim Epiſcopum irreprehenſi-

henſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, nō percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum, filios habētem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit: quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Non neophytum, ne in ſuperbiā elatus, in iudicium incidat diaboli.

Diſcurrendo per ſingula verba, ex illis facile colliguntur regulæ, quarum ad præſēs eſt ſermo de quo agimus.

Fidelis ſermo: ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.

Gloſſ.ord. Hyer. ad Oceanum.

Opus non dignitatem, laborem non delitias, non creſcere faſtigio; ſed humilitate decreſcere, vt fiat ſeruus, & miniſter hominum propter Chriſtum, vt etiam intermiſſa Rachele decora facie, ſed nō relicta, cum Iacob intret ad Liam oculis lippam, & de monte cum Moyſe deſcendat ad campos, & de ocio cō templationis ad laborem actionis: Non enim ſic eſſe quiſque debet ocioſus, vt in eodem ocio vtilitatem non cogitet proximi, nec ſic actuoſus, vt cōtemplationem non requirat Dei: In ocio nō iners vacatio delectare debet; ſed vel inquiſitio, vel inuentio veritatis, vt in ea quiſq; proficiat, & quod inuenerit alteri non inuideat:

In actione verò nō amandus eſt honor in hac vita, ſiue po
Eccl.1. a tentia : Quia omnia ſunt vana ſub Sole, ſed opus ipſum quod per honorem, & poten tiam fit, ſic recte, & vtiliter fit. ſcilicet, vt valeat ad ſalutem ſubditorum, vnde ſi quis epiſcopatum deſiderat, bonū opus deſiderat, exponere voluit, quid ſit epiſcopatus, quòd nomen eſt operis, non honoris; Græcum enim eſt, & inde ductum vocabulum; quod ille qui præficitur illis quibus præficitur, ſuper intendit, curam illorum ſcilicet gerens, ſcopos enim intentio eſt Epiſcopi ſupra;
1.Cor. 110. g Inde Epiſcopus latine ſuper intendens dicitur, vt intelligat ſe non eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit, nō prodeſſe, epiſcopatus enim eſt ſupra ſuam, & aliorum vitam

inten-

intentam intentio: Itaque & ſtudio cognoſcendæ veritatis nemo prohibetur: quod ad laudabile pertinet ociũ, locus verò ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, & ſi teneatur, & adminiſtretur, vt decet, indecenter appetitur; Ideo in ocio cogitanda eſt vtilitas proximi; in actione requirenda eſt contemplatio Dei: ocium ſanctum quærit charitas; veritatis negocium iuſtũ ſuſcipit neceſsitas charitatis: quam ſarcinam ſi nullus imponit vacandum eſt veritati: ſi imponitur ſuſcipienda eſt propter neceſsitatem charitatis: ſed nec ſic deſerenda eſt delectatio veritatis, ne ſubtrahatur ipſa ſuauitas, & opprimat iſta neceſsitas.

Iuxta prædicta quæro vtrũ liceat Epiſcopatum appetere.

RESpondeo dicendum cũ Sanct. Thom. 2.2.q.185. art.1.quod in epiſcopatu tria poſſunt conſiderari. Quorum vnum eſt principale, & finale, ſcilicet epiſcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur: ſecundũ illud Ioan. vlt. Paſce oues meas. Aliud autem eſt altitudo gradus, quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur, ſecundum illud Matth. 25. Fidelis ſeruus, & prudẽs, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Tertium autẽ eſt, quod conſequenter ſe habet ad iſta, ſcilicet reuerentia, & honor, & ſufficientia temporalium, ſecundum illud primæ ad Tim. 5. Qui be

ne

ne præſunt præsbiteri dupli-
ci honore digni habeantur.
Appetere ergo epiſcopatum
ratione huiuſmodi circum-
ſtantium bonorum, manife-
ſtum eſt, quòd eſt illicitum, &
pertinet ad cupiditatem, vel
ambitionem. Vnde contra
Phariſæos Dominus dicit
Matth. 23. Amant primos ac
cubitus in cœnis, & primas
cathedras in ſynagogis, ſa-
lutationes in foro, & vocari
ab hominibus Rabbi. Quan-
tum autem ad ſecundum, ſci-
licet ad celſitudinem gra-
dus, appetere epiſcopatū eſt
præſuntuoſum. Vnde Domi-
nus arguit diſcipulos, Matth.
20. Primatum quærentes di-
cens, ſcitis quia principes
gentium dominātur eorum.
VbiChriſoſtomus dicit, quod Hom. 66.
per hoc oſtendit, quod gen-
tile eſt primatus cupere, &
 ſic

ſic gentium comparatione eorum animã æſtuantem conuertit. Sed appetere proximis prodeſſe, eſt ſecundum ſe laudabile, & virtuoſum. Verùm quia prout eſt epiſcopalis actus, habet annexam gradus celſitudinem, prȩſuntuoſum videtur quod aliquis præeſſe appetat ad hoc quod ſubditis proſit, niſi manifeſta neceſsitate imminente: ſicut
1. p. c. 8. Gregorius dicit in Paſtoral. quod tunc laudabile erat, epiſcopatum quærere, quando per hunc cuiquam dubium non erat ad ſupplicia grauiora peruenire. Vnde non de facili inueniebatur qui hoc onus aſſumeret, præſertim cum aliquis charitatis zelo diuinitus ad hoc incitatur: Gregorius dicit in paſtorali, quod Iſa. prodeſſe proximis cupiens laudabiliter officiũ
præ-

prædicationis appetijt. Poteſt tamẽ abſque pręſumptione quilibet appetere talia opera facere, ſi eum contingeret in tali officio eſſe, vel etiam ſe eſſe dignum ad talia opera exequenda: ita quod opus bonum cadat ſub deſiderio, non autem primatus dignitatis. Vnde Chryſ. Hom. dicit ſuper Mat. Opus quidẽ 35. deſiderare bonũ, bonum eſt: primatum autem honoris cõcupiſcere, vanitas eſt; primatus enim fugientem ſe deſiderat: deſiderantem ſe horret.

Cap. I. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe: S. Ant. 3. p. tit. 13. §. 1.

GLoſſ. ord. idem quod ad Titum 1. 6. ſine crimine. Nic. de Lyra 1. ſine notabili

bili defectu, & integræ famæ.

Cap. vlt. 25. diſt. quomodo enim præſes eccleſiæ poteſt auferre malum de medio eius, qui in delicto ſimili corruerit, aut qua libertate corripere peccantē poteſt, cum tacitus ſibi ipſe reſpondeat, eadem admiſiſſe, quæ corripit.

Cap. Nemo 81. diſt. Nemo rectè monitoris perſonam ſuſcipit, niſi qui actibus ſuis errata condemnat, & amorem innocentiæ cōuerſatione demonſtrat.

Gratian. 81. diſt. in princ. Debet ordinandus in epiſcopum (vt Apoſt. ſcribit) eſſe ſine crimine, ideſt ſine peccato mortali, quod non ſolum de Epiſcopo, ſed etiam de quolibet electo ad aliquam præpoſituram eccleſię oportet intelligi.

ad Tit. 1.

Iuxta

Iuxta prædicta quęro vtrũ in promouendis non ſolũm ad eccleſiaſticas dignitates, ſed etiam ad ordines ſacros requiratur ſanctitas vitæ.

REſp. affirmatiuè per ca. Hinc etiam 49. diſt. ibi. Hinc etenim ſuperna voce ad Moyſem dicitur loquere ad Aaron homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam non offerat panes Domino Deo ſuo, nec accedat ad miniſterium eius (vbi,& repente ſubiungitur) ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo, vel grandi, & torto naſo, ſi fracto pede, vel manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore,vel ponderoſus. Cæcus quippe eſt,qui ſupernę contemplationis lumen ignorat; qui præſentis Leuit. 21.

vitæ tenebris prꝫſſus, dũ ven-
turam lucem nequaquam di-
ligendo conſpicit, quo greſ-
ſus operis porrigat neſcit.
Hinc etenim Prophetãte An
1. Reg. 2. na dicitur Pedes ſanctorum
ſuorum ſeruabit, & impij in
tenebris conticeſcent.

Claudus vero eſt, qui qui-
dem quo pergere debeat, a-
ſpicit, ſed per infirmitatem
mentis, vitæ viam perfectæ
non valet tenere, quam vi-
det: quia ad virtutis ſtatum
dum fluxa conſuetudine non
erigitur, quo per deſiderium
innititur, illuc greſſus ope-
ris efficaciter nõ ſequuntur.
Hinc etenim Paulus dicit Re
miſſas manus, & diſſoluta ge-
Hebr. 12. nua erigite, & greſſus rectos
facite pedibus veſtris; vt non
claudicans quis erret, ſed ma
gis ſanetur.

Paruo autem naſo eſt, qui
ad

ad tenendam menſuram diſcretionis idoneus non eſt. Naſo quippe odores, fœtoresq́; diſcernimus. Rectè ergo per naſum diſcretio exprimitur; per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Vnde & in laude ſponſæ dicitur: Naſus tuus, ſicut turris, quæ eſt in libano, quia nimirum ſancta eccleſia, quæ ex cauſis ſingulis tentamenta prodeant, per diſcretionē conſpicit; & ventura vitiorū bella ex alto deprehendit. Sed ſunt nonnulli, qui dum æſtimari hebetes nolunt, ſæpe ſe quibuſdam ex quiſitionibus pluſquam neceſſe eſt, exercentes, ex nimia ſubtilitate fallūtur. Vnde hic quoque ſubditur, vel grandi, & torto naſo. Naſus enim grandis, & tortus eſt, diſcretionis ſubtilitas immoderata; quæ

Cant. 7.

dum

dum plus quam decet, excre uerit, actionis ſuæ rectitudinem ipſa confundit.

Fracto autem pede, vel ma nu eſt; qui viam Dei pergere omnino non valet; atque à bonis actibus funditus exors vacat: quatenus hæc non vt claudus, ſaltem cum infirmitate teneat; ſed ab his omnimodo alienus exiſtat.

Gibbus verò eſt; quem ter renę ſolicitudinis pondus deprimit, ne vnquam ad ſuperna reſpiciat; ſed ſolius his, quę in infimis calcantur, intendat: qui & ſi quando aliquid ex bono patriæ cęleſtis audierit, ad hoc nimirū peruerſę conſuetudinis pondere pręgrauatus, cordis faciem non attollit: quia cogitationis ſtatum erigere non valet; quem terrenæ ſolicitudinis vſus curuum tenet. Ex ho-

rum

rum quippe ſpecie Pſalmiſta dicit (Incuruatus ſum,& humiliatus ſum vſque quaque.) Pſalm. 118. Quorum culpam quoque per ſemetipſam veritas reprobans ait. Semen autem,quod in ſpinis cecidit,hi ſunt, qui audiunt verbum, & à ſollicitudinibus,& diuitijs,& voluptatibus vitæ euntes ſuffocātur,& non referunt fructum. Luc. 8.

Lippus verò eſt cuius quidem ingenium ad cogitationem veritatis emicat; ſed tamen hoc carnalia opera obſcurāt. In lippis quippe oculis pupillæ ſanæ ſunt, ſed humore defluente infirmantes palpebræ groſſeſcuut: quæ quia infuſione crebra atteruntur, etiam acies pupillæ vitiantur. Et ſunt nonnulli, quorum ſenſum carnalis vitę operatio ſauciat: qui videre recta ſubtiliter per ingeniū

pote-

poterant; ſed vſu prauorum actuũ caligant. Lippus itaque eſt, cuius ſenſum naturæ exacuit, ſed conuerſationis prauitas confundit: cui bene per Angelum dicitur (collyrio in vnge oculos tuos, vt videas.) Collyrio quippe oculos, vt videamus, inungimus, cum ad cognoſcendam veri luminis claritatem, intellectus noſtri aciem medicamine bonę operationis adiuuamus.

Apoc. 3.

Albuginem verò habet in oculo, qui veritatis lucem videre non ſinitur: quia arrogantia ſapientiæ, ſeu Iuſtitiæ cęcatur. Pupilla namque oculi nigra, videt albuginem tolerans nihil videt: quia videlicet ſenſus humanæ cogitationis, ſi ſtultum ſe peccatoremq́; intelligit, cognitionẽ intimæ claritatis apprehendit.

dit. Si autem candorem ſibi iuſtitiæ,ſiue ſapiētię tribuit; à luce ſe ſupernę cognitionis excludit: & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat,quo ſe apud ſe per arrogantiam exaltat,ſicut de quibuſdam dicitur. Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Rom. 1.

Iugem verò habet ſcabiē, cui carnis petulātia ſine ceſſatione dominatur. In ſcabię etenim feruor viſcerum ad cutem trahitur, per quam recte luxuria deſignatur: quia ſi cordis tentatio vſque ad cutis ſcabiem prorumpit, & foris iā corpus ſauciat: quia dum in cogitatione voluptas non reprimitur etiā in actione dominatur. Quaſi n. cutis pruriginē Paul. curabat abſtergere cum dicebat (Tentatio vos non apprehendat,niſi 1. Cor. 10.

huma-

humana :) ac ſi apertè dice-ret. Humanum quidem eſt tẽtationem in corde perpeti : dæmoniacum verò eſt in tentationis certamine in operatione ſuperari.

In petiginem quoque habet in corpore, quisquis auaritia vaſtatur in mente : quæ ſi in paruis nõ compeſcitur, nimirum ſine menſura dilatatur. In petigo quippe ſine dolore corpus occupat, & abſque occupati tędio excreſcens membrorum decorem fædat : quia & auaritia captiuam animam, dum quaſi delectat, exulcerat : dum adipiſcenda quæque cogitationis obijcit ad inimicitias accendit, & dolorem in vulnere nõ facit, quia æſtuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Sed decor membrorum perditur : quia aliorum quo-

que virtutum per hanc pulchritudo deprauatur, & quaſi totum corpus exaſperat; quia per vniuerſa vitia animum ſupplantat, Paulo atteſtante, qui ait. Radix omnium malorũ eſt cupiditas.

Ponderoſus verò eſt, qui turpidinem non exercet opere; ſed tamen ab hac cogitatione continua ſine moderatione grauatur in mente: qui nequaquam quidẽ vſque ad opus nefarium rapitur; ſed eius animus voluptate luxuriæ ſine vllo repugnationis obſtaculo delectatur. Vitiũ quippe eſt ponderis, cum humor viſcerum ad virilia labitur; quę profecto cum moleſtia dedecoris intumeſcunt. Ponderoſus ergo eſt, qui totis cogitationibus ad laſciuiam defluens; pondus turpitudinis geſtat in corde: &

quam-

quamuis praua nō exerceat opere; ab his tamen non euellitur mente: nec ad vſum boni operis in aperto valet aſſurgere; quia grauat hunc in abditis pondus turpe.

Quiſquis ergo quolibet horum vitio ſubigitur; panes domino offerre prohibetur: ne profecto diluere aliena delicta nō valeatis, quem adhuc propria deuaſtant.

Quia igitur paucis ad magiſterium paſtorale dignus qualiter veniat, atq; hoc indignus qualiter pertimeſcat, oſtendimus, nunc is, qui ad illud digne peruenerit, in eo qualiter viuere debeat, demonſtremus.

Reſpondeo dicendū, quod ſicut Dionyſius dicit 1. cap. Eccl. Hier. vt ſubtiliores, & clariores eſſentiæ repletę influxu ſolarium ſplendorum,

lumen

lumen in eis ſupereminẽs ad ſimilitudinem Solis ad alia corpora inuehunt: ſic in omni diuino non eſt audendum alijs dux eſſe, niſi ſecundum omnem habitum ſuũ factus Dei formiſsimus, & Deo ſimillimus. Vnde cum in quolibet ordine aliquis conſtituatur dux alijs in rebus diuinis quaſi pręſumtuoſus mortaliter peccat, qui cum conſcientia peccati mortalis ad ordines accedit: & ideo ſanctitas vitæ requiritur ad ordinem de neceſsitate præcepti, ſed non de neceſsitate ſacramenti. Vnde ſi malus ordinatur, nihilominus ordinem habet tamen cum peccato. Sanct. Thom. in ſupl. 3. par. queſt. 36. Art. 1.

Item

Item quæro vtrũ neceſſe ſit vt in Epiſcopum promo- uendus à die Baptiſmi ſine crimine de- beat inueniri.

VIdetur dicendum quod ſic, per textum in cap. vlt. 25. diſt. vbi primum itaque ſine crimine iubetur eſſe Epiſcopus, quod puto alio verbo ad Timotheum irreprehenſibilem nominatum, non quod eo tantum tempore, quo ordinandus eſt ſine vllo ſit crimine, & præteritas maculas noua conuerſatione diluerit, ſed quod ex eo tempore, quo in Chriſtum renatus eſt, nulla peccati conſciëntia remordeatur.

Sed contra facit quod dicit Hyer. in epiſt. 83. quem refert Grat. in 3. p. diſt. 25.

ibi

ibi res contra naturam penè eſt, vt ſine peccato aliquis ſit, ſed talis eligatur cuius cõparatione cęteri grex dicantur.

Reſpondeo dicendum ſub duabus concluſionibus.

Quarum prima eſt, quod de neceſsitate precepti eſt, vt promouendus in Epiſcopũ actũ ſit ſine peccato mortali, hoc habetur in Concil. Cartag. 4. c. 1. quod eſt in c. qui Epiſcopus 23. diſt. vbi qui Epiſcopus ordinandus eſt antea examinetur ſi natura ſit prudens, ſi docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi ſemper ſuis negocijs cauens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi litteratus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi indogmatibus eccleſiaſticis exercitatus,

tus,& ante omnia ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat.

Non tamen de neceſsitate pręcepti eſt, ſed bene de conſilio honeſtatis, propter excellentiam ſtatus, & maiorē auctoritatem,vt promouendus in Epiſcopum à die Baptiſmi ſui ſine crimine ſit alias pauci, aut quaſi nulli reperirentur,qui promoueri poſſent, & quia videmus, quod Dominus noſter Beatū Petrum, licet poſt baptiſma grauiſsime deliquerit eum negādo,nihilominus Epiſcopum orbis conſtituit dicens paſce oues meas.

Seconda ſit concluſio,quod de rigore iuris, qui crimine enormi fuerit poſt baptiſmū maculatus,non poteſt in Epiſcopum, aut aliam dignitatem eccleſiaſticam promoueri, &

ri, & ſic patet Reſponſum ad obiecta. Ioan. de Turrecrem: in c. vlt. 25. diſt.

Item quæro vtrum oporteat ad Epiſcupatum eligi meliorem.

RESp. quod ſufficit ſi dignus eligatur, facit cap. cum incunctis de elect. ibi cum incunctis ſacris ordinibus, & eccleſiaſticis miniſterijs ſint ætatis, maturitatis grauitas morum, & literarũ ſcientia inquirenda, multo fortius in Epiſcopo hęc oportet inquiri, qui ad curã aliorum poſitus in ſe ipſo debet oſtendere qualiter alios in domo Dei oporteat conuerſari. Ea propter ne quod de quibuſdam pro neceſsitate temporis factum eſt, trahatur à poſteris in exemplum

præſenti decreto ſtatuimus, vt nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui iam trigeſimum annum exegerit, & de legitimo matrimonio ſit natus, qui etiam vita, & ſcientia cõmendabilis demonſtretur. Conc. Trid. c. 1. ſeſſ. 7. c. 2. ſeſſ. 22. c. 4. ſeſſ. 24.

Reſpondeo dicendum cum San. Thom. 2.2.q. 185. art. 3. quod circa aſſumptionem alicuius ad epiſcopatum, aliquid conſiderandum eſt ex parte eius, qui aſſumitur, & aliquid ex parte eius, qui aſſumit. Ex parte enim eius, qui aſſumit, vel eligendo, vel prouidẽdo, requiritur quod talem eligat, qui fideliter diuina myſteria diſpenſet; quę quidem diſpenſari debent ad vtilitatem eccleſiæ: ſecundũ illud primæ Corint. 14. Ad ædificationem eccléſiæ quærite,

rite,vt abundetis. Non autē diuina myniſteria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quā expectare debent in futuro. Et ideo ille qui debet aliquē eligere in epiſcopatum, vel de eo prouidere, nō tenetur aſſumere meliorem ſimpliciter: quod eſt ſecundum charitatem: ſed meliorem quo ad regimen eccleſiæ, qui ſcilicet poſsit eccleſiam, & inſtruere, & defendere, & pacifice gubernare. Vnde contra quoſdam Hieronymus dicit quod quidam non quærunt eos in eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcunt eccleſiæ prodeſſe: ſed quos plus ipſi amant, vel quorum ſunt obſequijs deliniti, vel de diti, vel pro quibus maiorū quiſpiam rogauerit, (vt deteriora taceam) qui vt cleri-

ci fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptionem perſonarũ, quæ in talibus eſt graue peccatum. Vnde ſuper illud Iacobi ſecundo. Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione, & cætera, dicit gloſſa Auguſtini, ſi hanc diſtantiam ſedẽdi, vel ſtandi ad honores eccleſiaſticos referamus, nõ eſt putandum leue eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini gloriæ. Quis enim ferat eligi diuitem ad ſedem honoris eccleſiæ contempto paupere inſtructiore, & ſanctiore? ex parte autem eius qui aſſumitur, non requiritur quod reputet ſe alijs meliorem (hoc enim eſſet ſuperbum, & præſumptuoſũ) ſed ſufficit, quod nihil in ſe inueniat, per quod illicitum ei reddatur aſſumere præ-

Epiſt. 29.

re prælationis officium. Vnde licet Petrus interrogatus eſſet, an Dominum plus cœteris diligeret, in ſua reſponſione non ſe prætulit cęteris, ſed ſimpliciter reſpondit, quod Chriſtum amaret.

Ad hæc facit. c. 3. Apoſt. conſt. libr. 2. ibi. Probetur autem an vacet omni culpa, in ijs quæ ad communis vitæ vſum pertinent: ſcriptum eſt enim exquirite diligenter aſſumendum in ſacerdotium: ſit igitur expers iræ, quoniã inquit ſapientia ira ſapientes perdit: ſit miſericors nõ illiberalis, charitate præditus, quoniam dicit Dominus in hoc cognoſcent omnes, quod mei diſcipuli eſtis, ſi diligetis vos inuicem.

Leuit. 21.

Ioan. 13.

Item facit. c. 5. eiuſdem libri ibi. Ne ſit autem epiſcopus acceptor perſonarum,

neque diuitem reuereatur, vel aſſentetur ei, præter id quod decet, neque pauperē contemnat, vel opprimat:
Exod. 23. nō accipies enim inquit Dominus Moyſi perſonam diuitis, neque pauperis miſerebe ris in iudicio, quoniam Domini iudicium eſt: & rurſum iuſtè perſequeris iudicium.
Deut. 16. in cibo, & potu frugalem, & parcum ſe præbeat epiſcopus, vt poſsit ſobrius eſſe, dū corripit homines carentes diſciplina; nec ſit ſumptuoſus, nec delicatus, nec voluptuoſus, neque bonorum ciborum vorator.

Item facit.c. 20. eiuſdem libri, ibi. Caueat igitur epiſcopus, vt audiat ſermonem huiuſmodi, hoc eſt ne det occaſionem dicendi. Quid aſpicis feſtucam in oculo fratris tui, trabem verò in proprio

oculo

oculo non conſideras: Nam peccator cum videt aliquem ſimilia ſuorum operum facientem confirmatur, vt eadem faciat.

Facit etiam quod dicit Iſidor. lib. 3. de ſummo bono. c. 34. Quod eſt in Conc. Aquiſgranenſe. c. 15. in 3. vol. Cõc. ibi. Non ſunt promouendi ad regimen eccleſiæ, qui adhuc vitijs ſubiacent; Hinc eſt quod præceptum eſt Dauid, 1. Paral. 22. b non ędificare viſibile templũ, quia ſanguinum vir belli frequentia eſſet. Qua figura illi ſpiritualiter admonentur, qui vitiorum adhuc corruptioni ſunt dediti, ne templũ ædificent, hoc eſt eccleſiam docere præſumant. Non debet ducatus honorem ſuſcipere, qui neſcit ſubiectis tramite vitæ melioris præire. Neque enim quiſque ad hoc

pręficitur, vt ſubditorum cul pas corrigat, & ipſe vitijs ſer uiat. Nam tam ſanctum eſt ſacerdotij nomen, vt nulla vi tiorum nota maculari ſe ſi- nat. Grauius enim condem- nabitur, qui indignus ſuſci- pit, quod non meretur. Qui regimen ſacerdotij conten- dit appetere, ante in ſe diſcu tiat ſi vita honori ſit cōgrua; Plerique ſacerdotes ſuæ ma- gis vtilitatis cauſa, quam gre gis præeſſe deſiderant. Hæc vt proſint præſules fieri cu- piunt, ſed magis vt diuites fiant, & honorentur; ſuſcipiūt enim ſublimitatis culmen nō pro paſtorali regimine, ſed pro ſolius regiminis, vel ho- noris ambitione, atque abie- cto opere dignitatis, ſolam nominis appetunt dignita- tem.

Item facit, quòd dicit Iſi-

dor.

dor. lib. 3. de ſummo bono. c. 42. quod eſt in Conc. Aquiſgranenſe. cap. 22. in 3. vol. Conc. ibi. Qui præficitur ad regimen taliter erga diſciplinam ſubditorum præſtare ſe debet, vt non ſolum auctoritate, verum etiam humilitate clareſcat: ſed tamen ita erit in eo virtus humilitatis, ne diſſoluatur vita ſubditorum in vitijs, atque ita authoritas aderit poteſtatis, ne per tumorem cordis, ſeueritas exiſtat immoderationis: Hæc eſt enim in Dei ſacerdotibus vera diſcretio, quæ nec per libertatem ſuperbi, neque per humilitatem fiunt remiſsi.

S. Ant. §. 2.

Cap. II. Sequitur in textu vnius vxoris virum.

QVęro vtrum bigamia inducat irregularitatem. Reſpond. cum Tur. cr. c. 1. 26. diſt. hic videnda ſunt tria. Primo quid ſit Bigamia, & vnde dicatur. Secundo de cauſis, propter quas Bigamiæ ſit annexa irregularitas. Tertio de modis, quibus cõtrahitur. Circa primum eſt ſciendum, quod Bigamia dicitur defectus ex ſecundis nuptijs proueniens. Hoſtien. hanc diffinitionem reprobat, quia non eſt conuertibilis cum diffinito, cum aliter contingat. Sed vt inquit Dominus Petrus de Palude, in quarto, diſtinctione vigeſima ſeptima. Simili modo reprobatur ſua, in qua dicit, quod Bigamia ſit irregularitas ex defectu proue-

niens ſacramenti, quia etiã ſine illo quandoque contrahitur: & ſi dicas quod loquitur de bigamia vera, & propria, nihil eſt, quia ſicut illa non eſt niſi ex defectu ſacramenti, ſic niſi ex ſecũdis nuptijs; vnde diffinitio prima videtur melior ſecunda. Dicitur autẽ monogamus, à monos, quod eſt vnum, vel ſolum, & gamos coniugium, mulier, vel vxor quaſi vnius mulieris, vel vxoris; vir bigamus dicitur à bis, & gamos, quod eſt mulier in genitiuo, quaſi diuiſus, bis iteratus in mulierem, ſicut, & monogamus dicitur, qui non ſit iteratus, & trigamus ter iteratus. Palud.

Circa ſecundum notandũ, quod plures rationes aſsignantur, propter quas Bigamię eſt annexa irregularitas. Prima, & hæc præcipue vide-

tur propter defectum ſacramenti, quia non eſt ibi ſacramentum vnitatis, cum non ſit vir vnius, ex quo diuiſit carnem ſuam in duas; Hanc rationem aſsignat, Auguſt. in c. acutius, & extra eodem tit. c. debitum, eandem rationem aſsignat Albert. Magn.
S. Tho & Sanct. Thom. in quarto, diſtinct. vigeſima ſeptima, qui ita dicit, per ſacramentum Ordinis conſtituitur quis miniſter ſacramentorum; Vnde ille, qui habet alijs ſacramenta miniſtrare, nullum defectum in ſacramentis pati debet: defectus autem in ſacramentis eſt, quando ſacramenti ſignificatio integra nō inuenitur. Sacramentum autē Matrimonij ſignificat coniunctionem Chriſti ad Eccleſiam, quæ eſt vnius ad vnam. Et ideo requiritur ad perfectam

ctam ſignificationem ſacramenti, vt vir ſit tantum vnius vir, & vxor vnius vxor tantũ. Et ideo Bigamia, quę hoc tollit irregularitatem inducit, hæc Sanctus Thomas, concordat Alber. circa quam rationem notandum quod in matrimonio attenditur duplex ſacramentum propter duplicem coniunctionem, quæ in ipſo eſt, ſaltem in matrimonio per carnalem copulam conſumato. Prima ſignificat coniunctionem Chriſti, & Eccleſiæ, & hoc matrimonium dicitur fuiſſe initiatum in Patriarchis, & Prophetis, ratũ in tempore gratiæ, ſcilicet in natiuitate Chriſti, quando ipſe lapis angularis cœpit ædificare Eccleſiam, vnã de Iudæis, alteram de Gentilibus, parietem erigens conſumatum eſt in cruce, vel ra-

Alber.

ptum

ptum fuit in cruce,& conſu-
mabitur in patria. Vnde
Aug. Aug. ſuper illud Pſal. Nun-
quid,qui dormit nõ adijciet,
vt reſurgat. ait. Nota quod
dicit qui dormit, quia ſicut
de latere dormiẽtis Adæ,quæ
erat forma futuri aſſumpta
eſt coſta, de qua formata eſt
Eua; ita dormit Chriſtus
ſomno mortis, vt de latere
dormientis,de quo fluxerunt
ſanguis, & aqua,quæ ſunt no
ſtrę redemptionis ſacramen-
ta,formaretur ſibi ſponſa Sã
cta Eccleſia. Ad idem eſt ex-
tra de Baptiſmo, & eius eff.
c. maiores, & extra de cele-
bratione Miſſarum. ca. cum
Marthæ.§. quæſiſti, & cap. in
quadã. Item in ſecunda con-
iunctione ſignificatur vnio
diuinitatis, & humanitatis
facta in vtero virginali.Cum
ergo tam coniunctio Chriſti,
&

& Eccleſiæ, quam vnio diuinitatis,& humanitatis vnita ſit, & irreiterabilis, merito ſignificatur in matrimonij coniunctione carnali, ſed cũ quis tranſit ad ſecũdam vxorem recedit ab vnitate tendens ad pluralitatem. Et ideo non poterit in toto ſignificare dictam vnitatem, & reiterabilem coniunctam, vbi enim ſignificatum vnitũ eſt, & ſignificans vnum eſſe debet. Hanc rationem ponit Auguſt. licet obſcure in ca. acutius. 26. diſt.

Secunda ratio, quæ etiam ſignatur à Sanct. Thom. in quarto,etiam à Durando cõſequenter eſt propter ſanctitatem,quæ in his, quæ ſuſcipiunt ſacramentum ordinis, maxime debet apparere. Tũ quia ſpiritualia miniſtrant, ſcilicet ſacramenta. Tum S. Tho.

quia

quia ſpiritualia docent, & in ſpiritualibus occupari debent: vnde cum concupiſcentia maxime ſpiritualitati repugnet, per quam totus homo caro efficitur, non debet eſſe aliquod ſignum concupiſcentiæ, permanentis in eis, nec apparere, quod quidem apparet in bigamis, qui vna vxore contenti eſſe noluerunt.

Tertia ratio propter prærogatiuam ordinum, & hæc ratio aſsignatur in cap. vna. 26. diſt.

Quarta ratio, quia non habent frontem, ſiue authoritatem exhortandi viduitatem, qui frequentant coniugia, vt dicit Ambroſius, & ponitur in eodem cap. vna.

Circa tertium, vbi videndum quot modis contrahatur bigamia. notandum iuxta

ta Doct. tã Theologos, quàm Iuriſtas, quod bigamia contrahitur multis caſibus ſecũdum iura, qui in ſpeciali diſtingui poſſunt in ſeptem, licet aliqui Doctores, ex prædictis vnum caſum ſub alio comprehendant, ſicut Sanct. Thom. dicit in quarto, qui ſolum ponit quatuor modos. diſt. 27. Q. 3. art. 1. S. Tho.

Primus autem modus eſt, qui propriè dictus eſt, ſcilicet cum quis ſucceſsiue, & diuerſis temporibus duas vxores legitimas, & ambas cognouit, c. aperiant. 31. q. 1.

Secundus modus eſt, quando diuerſis temporibus quis habet plures, vnam de iure, & alteram de facto, & ambas cognouit extra de bigamis, cap. nuper. hic quidem bigamus reputatur, non propter ſacramenti defectum, cum in

veriat-

veritate bigamus nō exiſtat, ſed propter intentionis affe-ctum, cum opere ſubſequuto, vt ibidem dicitur in fine.

Tertius modus eſt, quando eodē tempore habet plures, vnam de iure, & alteram de facto, vel ambas de facto, & vtramque cognouit, vel corruptam de facto. 31. q. 1. ca. quomodo, & extra de diuor. c. gaudemus.

Quartus eſt, quando contrahit cum vidua ab altero marito cognita 32. diſt. c. ſeriatim extra de bigam. cap. debitum. ſecus autem eſt, ſi relicta fuiſſet virgo, quia modo communiter tenent Doctores, quod non eſſet tunc bigamus. cap. fin. 24. diſt.

Quintus eſt quando contrahit cum corrupta à quocūque alio ſcienter, vel ignoranter, & eam cognoſcit c.

curan-

curandum, cap. præcipimus. 34. diſt.

Sextus eſt quando vxorem propriam ſcienter, vel ignoranter cognoſcit poſt quam cognita eſt ab alio. 34. diſt. ſi cuius ca. ſeq.

Septimus, quando aliquis in ordine ſacro conſtitutus, vel poſt factam profeſsionẽ religionis de facto cõtrahit, licet de iure non poſsit. ext. de big. non ord. c. nuper, & c. vlt. & c. ſuper eodem in gloſ. & 27. q. 1. cap. quotquot, ſed talis non eſt irregularis propter defectum ſignificationis in ſacramẽto, cum ibi ſacramentum nõ ſit, ſed quia ſic ſtatutum eſt, quod contra talem præſumitur de incontinẽtia inhærente, vt etiã ſacramentum ordinis in maiori reuerentia habeatur. Nota ſecundũ Hoſtienſem, quod Hoſt.

ſolus

ſolus modus primus bigamiæ eſt verus, & proprius. Alij verò ſex interpretatiuè dicti ſunt propter aliquam ſimilitudinem, quam habent cum vero bigamo. Vide quæ
Autor. dixi in ſumma Pec. cap. p. 1. tit. 4. q. 81.

Ampliantur, omnia, hæc procedere, vt nec etiã actus minorum ordinum valeant
S. Ant. exercere. cap. 17. ſeſſ. 23.
§. 3. Conc. Trid.

Cap. III. Sequitur autem in deſcriptione illa Apoſtolica, vt ſit ſobrius, qui ordinandus eſt, non vinolentus.

Gen. 9.

VEnter. n. mero ęſtuans facile deſpumat in libidinem. Vnde Noe in ebrietate nudauit fœmora: Loth, quem Sodo-

Sodoma non vicit, vina vicerunt, quod tamen vinolentus eſſe prohibetur nõ ſemel, ſed frequenter vino repletus debet intelligi, Gratian. 35. diſt. in princ.

Vnde in Canon. 43. Apoſt. cap. 1. 35. diſt.

Epiſcopus, aut Præsbiter, aut Diaconus, æleæ, atque ebrietati deſeruiens, aut deſinat, aut certè damnetur.

Et Hyer. lib. 2. contra Iouinianum. c. 3. diſt. 35.

Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas; omnis qui cũ his miſcetur, non erit ſapiens.

Et Proſper de vita contemplatiua li. 2. c. 22. c. 7. diſt. 35.

Luxuriã facit, & nutrit vini perceptio nimia, non natura.

Et in Concilio Agathenſi. c. 41. c. vlt. 35. diſt.

Ante

Ante omnia clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix eſt.

Et in Concil. generali, ſub Innoc. 3. cap. 15. c. A crapula de vita, & hon. cler.

A crapula, & ebrietate omnes clerici diligenter abſtineant; vnde vinum ſibi temperent, & ſe vino, nec ad bibendum quiſpiam incitetur, cum ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis prouocet incentiuum: vnde illum abuſum pęnitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales, ſuo modo ſe obligāt potatores, & ille iudicio talium, plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi à ſuperiore commonitus ſatisfecerit ab offi-

officio, vel beneficio ſuſpendatur.

Cum autem vinolentus eſſe prohibetur, gulæ intemperantia nequaquam habere permittitur. Vtrumq; enim inter opera tenebrarum Apoſtolus connumerat, ſcribens Romanis (Nō in comeſſationibus, & ebrietatibus) Ventris namq; ingluuies ad luxuriam prouocat facile, & omne opus bonum diſſoluit. Vnde venter, & genitalia ſibimet ipſis vicina ſunt: vt ex vicinitate membrorum confæderatio intelligatur vitiorum. Hinc etiam Nabuzardam Princeps coquorum muros Hieruſalem deſtruxiſſe legitur: quia venter, cui multitudo coquorum deſeruit, ędificia virtutum ad ſolum redigit. Sacerdos itaque de altari viuere, non luxuriari,

Grat. 44. diſt.

Rom. 13.

quæ-

4.Reg. vlt. quærat, vt ait Hieronymus; Tibi, ò ſacerdos de altari viuere, non luxuriari permittitur, ſunt autem comeſſationes non ſolum ſacerdotibus, ſed etiam laycis noxię, qui feſtiuos, & ſolemnes dies non aliter ſe digne celebrare putant, niſi comeſſationibus deſeruiant. De ebrietate, vide quæ dixi in ſumma pec. capital. p. 2. q. 12. tit. 7. &
Autor. de peccato gulæ, p. 2. tit. 7. queſt. 1.

Vnde in Laodicenſi Conc. 24. c. 2. diſt. 44.

Non oportet clericos ſeruiẽtes à pręsbyteris, vſque ad diaconos, & deinceps ordinis eccleſiaſtici omnes, vſque ad miniſtros, aut lectores, aut exorciſtas, aut oſtiarios, aut pſalmiſtas, aut etiã eos, qui in propoſito continentię ſunt, tabernas intrare.

Et in ſexta Synodo. c. 9. c. 3. Diſt. 44.

Nulli clerico licet tabernam, aut ergaſterium habere; ſi enim huiuſmodi tabernam ingredi prohibetur, quãto magis alijs miniſtrare in ea? ſi quis verò tale quid fecerit, aut ceſſet, aut deponatur.

Et in Conc. Carth. 3. c. 27. c. 4. diſt. 44.

Clerici, edendi, vel bibendi cauſa tabernas non ingrediãtur, niſi peregrinationis, neceſsitate compulſi.

Vnde Gratian. 44. diſt. in fine.

Si laicis commeſſationes damnabiles ſunt, multo magis ſacerdotibus imputantur ad gehennã. Venter enim pinguis, vt Hieronymus ait craſſum ſenſum generat: cũ ſacerdotalis ſenſus contra vi

gil eſſe debeat, & tenuis, atque ideo edacitatis vitio ob noxij in ſacerdotes vngi non
Li. 23. debent. Hi enim vt ait Greg.
c. 12. in moral. qui adhuc vitiorũ bello ſubiacent, nequaquam per prædicationis vſum præeſſe magiſterio ceterorũ debent.

Et Ambroſ. in lib. de Elia, & ieiunio. c. 4. c. ſexto die. 35. diſt.

Sexto die beſtiæ ſunt creatæ, & cum beſtijs orta edendi poteſtas eſt, & vſus eſcarum. Vbi cibus cæpit, ibi finis factus eſt mundi: ibi cæpit ſua incrementa neſcire, vbi cæperunt diuina opera circa eum feriari. Quo indicio declaratum eſt, quod per cibos mũdus haberet inminui, per quos deſijt augeri.

Et vt ſciamus non eſſe nouum ieiunium, primam illic

legem

legem conſtituit de ieiunio.

Eouſque nemo præuaricari nouerat, vt ad huc orta nō eſſet, quæ prima eſt præuaricatio in dictum ieiuniū abſtinentiæ lex à Domino Deo: præuaricatio legis à Diabolo: culpa per cibum, latebra poſt cibum: cognitio infirmitatis in cibo, virtus firmitatis in ieiunio.

Serpens gulæ perſuadet, Dominus ieiunare decernit. Itaque gula de Paradiſo regnantem expulit, abſtinentia ad Paradiſum reuocauit errantem.

In principio generis humani ignorabatur ebrietas. Primus Noe vineam plantauit: dedit naturam, ſed ignorauit potētiam. Itaque vinum nec ſuo pepercit auctori.

Sed illius ebrietas nobis ſuadet ſobrietatem. Semel

enim inebriatus eſt Noe. Vbi enim malum ebrietatis agnouit iumentum ſuum, ad remedium temperauit, non effudit ad vitium.

Manebat, antequam vinũ inueniretur, omnibus in concuſſa libertas, nemo ſciebat à conſorte naturę ſuę obſequia ſeruitutis exigere. Non eſſet hodie ſeruitus, ſi ebrietas nõ fuiſſet. Obrepſerat quidem iam fraternæ prælationis inuidia, manebat tamen adhuc paternę pietatis reuerentia. Non illis itaque ſolis nocent vina, quos tentant, ſed & illis amplius, quorum oculis temulenta ebriorum membra nudantur.

Gen. 19. Legimus etiam quod patrem Loth inebriauerint filiæ in monte ad quem timentes incendium ſodomitarum confugerant, & habitabant

in

in ſpelunca.

Fuit itaque ebrietas origo inceſti, peſsime regenerationis partus deterior.

At non Abraham vina in ſuo cõuiuio miniſtrabat: ſed immolabat vitulum: butirũ, & lac, etiam Angelis hoſpitibus exhibebat. Cœli Dominum, mundi agnoſcebat auctorem. Vinum ergo exhibere non poterat. Sed recte illic deerat materia peccati, vbi erat remiſsio peccatorum. Denique annuntiauit eum Ioannes non manducans panem, neque bibens vinum. Qui enim Chriſtum annuntiat, ab omni vitiorum incentiuo præſtare ſe debet alienum. Gen. 18.

Iuxta prædicta quæro vtrū materia propria virtutis ſobrietatis ſit potus vini.

REſp. affirmatiue Ecc. 31. Æqua vita hominis vinū, in ſobrietate potatum.

Et Gratian. 35. diſt. in princ. vbi ſobrium interprætatur non vinolentum.

Reſpond. dicendum cum Sanct. Thom. 2. 2. queſt. 149. art, 1. quod virtutes, quæ ab aliqua generali conditione virtutis nominantur, illam materiam ſibi ſpecialiter vēdicant, in qua difficillimum, & optimum eſt conditionem eius obſeruare, ſicut fortitudo pericula mortis, & temperantia delectationes tactus. Nomen autem ſobrietatis ſumitur à menſura. Dicitur. n. aliquis ſobrius, quaſi briā. i. men-

menſuram ſeruans. Et ideo illam materiã ſpecialiter ſibi ſobrietas adſcribit, in qua maxime laudabile eſt menſuram ſeruare. Huiuſmodi autem eſt potus inebriare valens, quia eius vſus menſuratus multum confert, & modicus exceſſus multum lędit, quia impedit vſum rationis; magis etiam quam exceſſus cibi. Vnde Eccl. 31. ſanitas Eccl.
eſt animę, & corporis ſobrius 31.
potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Et ideo ſpecialiter ſobrietas attenditur circa potũ, non quemcunque, ſed eum. qui ſua fumoſitate natus eſt caput conturbare, ſicut vinum, & omne quod in ebriare poteſt. Communiter ſumendo nomen ſobrietatis poteſt in quacunque materia dici.

Item quæro vtrum vſus vini ſit licitus.

RESpond. affirmat. quod dicit. 1. Tim. 5. Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & infirmitates frequentes, & Eccl. 31. Exultatio animæ, & cordis vinum moderatè potatum.

Reſpond. dicendum quod nullus cibus, vel potus ſecundum ſe conſideratus eſt illicitus, ſecundum ſententiam Domini dicentis Matth. 15. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: Et ideo bibere vinum ſecundum ſe loquendo non eſt illicitum. Poteſt tamen reddi illicitũ per accidens. Quandoque quidem ex conditione bibentis, quia vino de facili læditur, vel quia ex ſpeciali voto obliga-

bligatur ad vinum non bibẽdum, quandoque ex modo bibendi, quia ſcilicet menſuram in bibendo excedit. Quandoque autem ex parte aliorum, qui ex hoc ſcandalizantur. Sanct. Thom. 2. 2. q. 149. art. 3.

Item quæro vtrum ebrietas ſit maius peccatum in clericis, quam in laycis.

RESpond. affirmatiue facit. cap. vlt. 35. diſt. ibi. Ante omnia clericis vitetur ebrietas, quę omniũ, vitiorũ fomes, ac nutrix eſt, quæ non ita prohibita legitur laycis.

Reſp. dicendum cum Turrecr. c. fin. diſt. 35. ſub duabus concluſ. Prima ꝙ ebrietas maius peccatum ſit in clericis, quam in laycis, patet cõcluſio, quoniam æqualitas,

vel in æqualitas peccati non ſolum conſiſtit in radice, aut in genere peccati, ſed in circumſtantijs perſonarum, & dignitatum: Vnde Iſidorus lib. 2. de ſummo bono. Dicit, quod tanto magis cognoſcitur eſſe peccatum, quanto maior eſt qui peccat, ſed cōſtat clericos maiores eſſe, & potiores dignitate ipſis laycis, ergo.

Iſidor.

Secunda concluſio. In Prælatis eſt maius peccatū ebrietas, quam in ſubditis, patet concluſio. Nam in conſtituēdo prælatum immediate dicit Apoſtolus 1. ad Timo. 3. oportet Epiſcopum non violentum eſſe. Vnde non dubium, quod maius peccatum ſit ebrietas in prȩlatis, quam in ſubditis, cum in eis aggrauetur hoc peccatum, non ſolum ratione perſonȩ, aut profeſsio-

1. Tim 3.

feſsionis, ſed etiam ratione dignitatis, quoniam ebrietas inducit ignorantiam, vt habetur Eſa. 28. ſacerdotes neſcierunt præ ebrietate, & ibidem 56. Canes impudentiſsimi, neſcierunt ſaturitatem. Eſa. 28

Item quæro vtrum ſobrietas magis requiratur, in Epiſcopis, quam in alijs.

RESpond. affirmat. cum Apoſt. in tex. præſentis c. vbi ait, oportet Epiſcopũ eſſe ſobrium.

Reſpond. dicendum cum Sanct. Thom. 2.2.q.149. art. 4. quod virtus habet habitudinem ad duo. Vno quidem modo ad contraria vitia, quę excludit, & concupiſcẽtias, quas refrenat. Alio modo ad

finem, ad quem perducit, ſic ergo aliqua virtus magis requiritur in aliquibus duplici ratione, vno modo, quia in eis eſt maior pronitas ad cõcupiſcentias, quas oportet per virtutem refrenari, & ad vitia quæ per virtutem tolluntur. Et ſecundum hunc modum ponitur iſta concluſio. Sobrietas maxime requiritur in Iuuenibus, & mulieribus. Iſta concluſio patet ex rationibus factis in principio quæſtionis, quia .ſ. in Iuuenibus viget concupiſcẽtia delectationis propter feruorem ætatis. In mulieribus autẽ non eſt ſufficiens robur mentis ad hoc quod concupiſcentijs reſiſtãt, vnde vt recitat Valerius li.2.c.3. mulieres apud Romanos antiquitus non bibebant vinum. Vnde Marcellus Conſul Roma-

Val. Max.

nus

nus vxorem ſuam eo,quod vi
num bibiſſet,fuſte percuſſam
interemit. Alio verò modo
ſobrietas magis requiritur
in aliquibus; vtpote magis
neceſſaria ad propriam ope-
rationem ipſorum, ſecũdum
hunc modum ponitur iſta cõ
cluſio. Quod ſobrietas magis
requiritur in maioribus, &
excellẽtioribus perſonis. Iſta
cõcluſio patet, quia apud ta-
les perſonas, cum ſint aliorũ
duces, & rectores, maxime vi
gere debet iudicium ratio-
nis, vinũ autem immoderate
ſumptum præcipuè impedit
vſum rationis. Hinc ſenes, in
quibus ratio debet vigere ad
aliorum eruditionẽ Apoſto-
lus inducit ad ſobrietatem
exhortando ſecundum illud
Tim. 3. ſenes, vt ſobrij ſint: Tim. 3.
hinc etiam epiſcopis, & qui-
buſlibet eccleſiæ miniſtris,

qui

qui mente deuota debent ſpi
ritualibus officijs inſiſtere,
ſobrietas indicitur, primę ad
Ti.3. Cæterum eadem ratio-
ne etiam regibus, qui per ſa-
pientiam debent populum
ſubditum gubernare, ſpecia-
liter ſobrietas indicitur pro
Pro.21 uerbiorum 21. Nolite regi-
bus dare vinum, rationes pręↄ
dictorum multæ ſunt.

Prima quoniam miniſtros
Dei in eccleſia decet mun-
diciam ſeruare, iuxta illud
Hyer. Pſal. Ambulans in via imma-
culata, hic mihi miniſtrabat,
vinolentia autęm parit im-
mundiciam; vnde Hierony-
mus venter męro æſtuans, fa-
cile in libidines deſpumat. c.
1. 31. diſt.

Secunda ratio eſt, quia ita
conuenit officio miniſtrorũ
eccleſiæ, ſunt enim vigiles ad
cuſtodiendum gregem ordi-
nati:

nati: vnde Epiſcopus dicitur ſuperintendens, & Lucæ. 1. dicitur. Quod erant paſtores vigilantes ſuper gregem ſuũ. Ebrietas autem maxime obſtat vigilijs. Hinc primæ Petri. 5. dicitur, ſobrij eſtote, & vigilate &c. Luc. 1.

Tertia ratio quoniam miniſtri eccleſię, vtpotè, quibus dictum eſt. Ite docete omnes gentes. Mat. vlt. debent intellectu eſſe perſpicaces, & ſenſus acumine vigere prę cęteris. Sicut autem ſobrietas eſt amica ſapientiæ ſecundũ illud Eccleſiaſt. Et cogitaui abſtrahere à vino carnẽ meã, vt animum meũ transferrem ad ſapientiam. Ita vinolentia, & ebrietas intellectũ obtenebrant, & errores inducunt, vnde gloſſ. prouerbiorum. 23. dicit immoderatus hauſtus vini interioris, & exterio- Mat. vlt. Prou. 23.

terioris viſus ingerit cæcita tem. Et Aug. Ebrietas aufert memoriã, diſsipat ſenſum, cõfundit intellectũ, excitat libidinem, inuoluit linguam, corrumpit ſanguinẽ, omnia membra debilitat, vitã diminuit, & omnem ſalutẽ exterminat.

Quarta ratio eſt, quoniam miniſtros eccleſiæ decet iuxta Apoſtolum ornatos eſſe bonis moribus, quibus maximè obſtat vinolentia, ſiue ebrietas, quoniam omnium vitiorũ fomes eſt. Hinc ex Concil. Agaten. in vlt. c. 35. diſt. habetur ſic. Ante omnia clericis vitetur ebrietas, quæ omniũ vitiorũ fomes, & nutrix eſt.

Quinta ratio, quoniam miniſtri eccleſię debent eſſe honorabiles in populo, hoc maxime operatur ſobrietas, & contrarium vinolentia, ſiue ebrietas, quę hominem ignominio-

minioſum reddit, ac in hono rabilem, quod patet in Noe, de quo Hieronym. in epiſt. ad Oceanũ dicit quod ad vnius horæ ebrietatem fęmora denudauit, quę per ſexcentos annos ſobrietate contexerat Gen. 10. Et ideo dicitur Abac. ſecũdo. Ve qui potũ dat amico, ſequitur, & inebrians, vt aſpiciat nuditatem eius, repletus ignominia pro gloria. Gen. 10.

Sexta ratio, quia miniſtri ecclesię debent eſſe exemplũ, & norma bene viuendi alijs. Iuxta illud Mat. quinto. Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi. Cauenda eſt in eis vinolentia, ſiue ebrietas, ne ad eorum exemplum ſubditi ad vinolentia conuertantur; vnde ſuper illud Iob. 1. c. cũ biberẽt in domo fratris primo geniti &c. dicit Greg. lib. 1. Moral. Cum maiores voluptati Mat. 5.

tati deſeruiunt, nimirum ſi minoribus laſciuiæ frena laxantur, & ibi bene de hoc.

Septima ratio ſumitur ex figura legalium ſacerdotum, quæ ratio ponitur in cap. 1. diſt. 35. quibus prohibitum erat bibere vinum ad minus pro vice ſua. Leuit. 10. in figura exterminandæ temulentiæ, & ſobrietatis habendæ in Sacerdotibus Euangelicis, quanto enim dignitas excellentior, perſona honorabilior, conuerſatio cæleſtior, & operatio ſpiritualior, tanto magis cauenda eſt vinolentia, vel ebrietas, quæ & dignitatem vilificat, & perſonam dehoneſtat, & conuerſationẽ infamat, & conuerſionem debitam impendit, propter quod Saluator diſcipulis ſuis ait Lucæ. 21. Attendite autẽ vobis, ne forte grauẽtur cor-

Leuit. 10.

Luc. 21

da veſtra crapula, & ebrietate. Turre crem. in c. 1. art. 2. 35. diſt. de virtute ſobrietatis, vide quæ dixi in ſumma virtutum. Tit. 10. q. 17. Autor.

Cap. IIII.

OPortet etiam ordinandum eſſe prudentem, quod contra eos notandum eſt, qui ſub nomine ſimplicitatis excuſant ſtultitiam ſacerdotum. Prudentem autem Epiſcopum oportet intelligi, non ſolum literarum peritia, verum etiam ſecularium negotiorum diſpoſitione Gratian. 36. diſt. in princ. S. Ant. §. 4.

Vnde in epiſt. Gelaſij Papæ ad Epiſcopos per Lucaniam. c. 1. diſt. 36. ibi.

Illiteratos, aut aliqua parte corporis vitiatos, vel imminutos, nullus præſumat ad

cleri-

clericatus ordinem promouere, quia litteris carens, ſacris non poteſt eſſe aptus officijs, & vitioſum nihil Deo prorſus afferri legalia præcepta ſanxerunt.

Et Zozimus Papa in epiſt. ad Iſichium Epiſcopum. c. 2. 35. diſt. ibi.

Qui eccleſiaſticis diſciplinis per ordinem non eſt imbutus, & temporum approbatione diuinis ſtipēdijs eruditus, nequaquam ad ſummū eccleſiæ ſacerdotium aſpirare præſumat.

Et Grat. in §. ecce. 36. diſt. ibi.

Exod. 28. Ecce quod ſacrarum literarum oportet Epiſcopum habere peritiam, vnde in veteri teſtamento inter cetera ornamenta Pontifex rationale ferebat in pectore, in quo ſcribebatur manifeſtatio, & veri-

veritas, quia in pectore Pontificis manifeſta debet eſſe cognitio veritatis.

Hinc etiam Vectes, quibus Exod.
arca portabatur, iugiter an 25.
nulis erant inſerti, vt cum arca eſſet portanda, nulla fieret mora de intromittendis vectibus; quia prędicatores, per quos eccleſia circumfertur, ſacris litteris ſemper debent inſiſtere, ne tunc quærant diſcere, cum ex officio alios debeant docere.

Hinc etiam Dauid prius 2. Reg.
ex gratia Spiritus ſancti do- 5.
num ſcientiæ percepit, & poſtea ad miniſtrationem regni aſſecutus eſt.

Salomon quoque non diui 3. Reg.
tias non longa tempora hu- 3.
ius vitæ, ſed ſapientiã à Deo petijt, & impetrauit.

Hinc etiã Dominus prius 2. Paral. 1.
ponit verba ſua in ore Prophetæ,

phetæ, & poſtea conſtituit eum ſuper gentes, & regna dicens ad Hieremiam: ecce dedi verba mea in ore tuo; ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna.

Mal. 2. Hinc etiam Malachias ait. Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirēt de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.

Luc. 2. Hinc etiam Saluator noſter prius in medio Doctorū ſedit audiens illos, & interrogans, & poſtea prædicare cæpit, quia prius quiſque diſcere, & poſtea prædicandi officium vſurpare debet.

Eccl. 3. Hinc etiam Salomon prius ait (tempus tacendi,) & (poſtea tempus loquendi:) quia veritas prius tacendo diſcitur, & poſtea loquendo prædicatur.

Eccl. 3. Hinc idem Dominus ait,

Qui

Qui audit, dicat veni.

Hinc etiam prius Apoſtolos docuit, deinde eos ad prædicandũ miſit, dicens. Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbę, ſic etiã poſt reſurrectionẽ prius illis ſenſum aperuit, & ſcripturas explanauit; & poſtea dixit eis. Euntes in mundũ vniuerſum &c. Vnde cum de quinque panibus, quinque millia hominũ vellet reficere, prius panes accipiens fregit, & poſtea diſcipulis dedit, & per eos demũ turbis appoſuit, quia ſacramenta legis, & prophetarum prius differendo expoſuit, & poſtea eorum ſcientiam diſcipulis dedit, & per eos tandem illam fidelibus diſpenſauit.

Mat. 10

Mat. 14

Hinc Petrus, cum rectoribus eccleſię ſcriberet ait. Parati

1. Pet. 3.

rati eſſe debetis reddere rationem omni poſcenti vos ſatisfactionem de ea fide, & ſpe quæ in vobis eſt.

1.Tim. 4. Hinc etiã Paulus ſcribens ad Timot. ait. Attende lectioni exhortationi, & doctrinæ.

Ex quibus omnibus liquido colligitur quod non ſufficit prælatis bona conuerſatio, & morum honeſtas, niſi addatur ſcientia doctrinæ.

Exod. 37. Vnde ſacerdotes ingreſſuri tabernaculum, prius lauabantur in labro æneo quod fecerat Moyſes ex ſpeculis mulierum.

Cant. 5. Hinc etiam in canticis cãticorum oculi, per quos prælati eccleſiæ intelliguntur, aſſimilantur columbis, quæ reſident iuxta fluenta pleniſsima.

Iuxta

Iuxta prædicta quæro vtrẽ ignorantia ſit peccatum in ſacerdotibus.

RESpond. cum Turrecr. c. 11. art. 1. diſt. 38. ſit iſta concluſio; ignorantia in ſacerdotibus, & in quibuſcunque alijs, eorum quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, ſiue eorũ quæ pertinent ad officium eorum, dum tamen illa ſcire potuerunt, eſſe peccatum, probatur iſta concluſio. Cognoſcere credenda, & operãda eſt actus virtutis, ſcilicet fidei, & prudentiæ: ergo hoc ignorare eſt priuari virtutibus, ſed priuationes virtutũ ſunt vitia, & peccata, ergo ignorantia aliqua, ſcilicet eorũ, quæ ſunt fidei ad agendum, quæ ſunt de neceſsitate ſalutis, eſt culpa. Secundo non facere ea, quæ homo te-

netur, ſimiliter non dicere: & non amare: quæ homo tenetur amare, eſt peccatum: ergo ſimiliter neſcire ea, quæ homo tenetur ſcire, eſt peccatum, ſed multi ſunt qui ignorant ea, quæ tenentur ſcire, vtpotè ea, ſine quibus ſaluari non poſſunt, aut conuenienter exercere officium ſuum, ergo ſequitur, quod in talibus ignorantia eſt culpa. Pro cuius concluſionis pleniori intelligentia eſt notandum iuxta S. Thom. 1.2.q. 76. art. 1.& ſeq. quod in hoc differt neſcientia, & ignorantia, quia neſcientia dicit ſimpliciem ſcientiæ negationem: vnde cuicunque deeſt aliqua rerum ſcientia, poteſt dici neſcire illa eo modo, Secundum quem Diony. in Angelis ponit neſcientia 6. cap. Eccleſiaſticæ Hierar.

Dion.

igno-

ignorãtia vero importat ſciẽtiæ priuationem, dum ſcilicet alicui deeſt ſcientia eorum, quæ aptus natus eſt ſcire, quædam enim ſunt ad quę tenetur, ſicut illa, ſine quorũ ſcientia non poteſt actum d bitum exercere, & hoc modo communiter omnes tenẽtur ſcire ea, quæ ſunt fidei, & vniuerſalia fidei iuris præcepta. Singuli autem tenentur ſpecialiter ea, quæ ad ſua officia pertinent ſcire. Quædam verò ſunt, quæ etiam ſi aliquis natus ſit ſcire, ad ea tamen nõ tenetur, ſicut principia Geometrię, & contingentia futura. Maximum eſt, quod quicunque negligit habere, vel facere, quod tenetur peccato omiſsionis. Vnde propter negligentiam eorum, quæ quis ſcire tenetur, incidit in peccatum. Et quia

homini non imputatur ad negligentiam, ſi neſciat, quæ ſcire non poteſt, quorum ignorantia inuincibilis dicitur. Et ideo, cum talis ignorantia non ſit voluntaria in eo, in quo non eſt peccatũ: Ignorantia autem vincibilis, cum ſit eorum, quæ homo ſcire tenetur peccatum eſt, ſi neſcit.
S.Bon. Concordat Dominus Bonauentura in ſecundo diſt. 22. dicens quod huiuſmodi cognitionis priuatio, ſcilicet eorum quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem, poſſunt nobis dupliciter in eſſe, aut manente tentione, aut non manente: ſi manente tentione, tunc eſt culpa, quia cum quis tenetur aliquid facere, & nõ implet, ex hoc ipſo inculpatur, & dignus eſt pœna. Si autem ſit in nobis priuatio, non manẽte tentione, vtpotè, cum non

poteſt ſcire, & impotentia excuſat ab obligatione, ſic priuatio huius cognitionis culpa non eſt, ſicut in furioſis, & ſecundum hoc ignorantia, quę dicit priuationem huius cognitionis ad ſalutem neceſſariam, vno modo eſt peccatum, & alio modo minime.

Vnde Gratian. in §. vt itaque 38. diſt. dicit.

Vt itaque ex præmiſsis apparet, imperitia ſacerdotibus ſemper eſſe debet aduerſa, quia cum per ignorantiã cæcati alijs ducatum præſtare cæperint, ambo in foueam cadunt. Vnde dicitur in Pſalmo (obſcurentur oculi eorũ, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua) cum enim obſcurẽtur illi, qui præeunt; ad ferenda onera peccatorũ facile ſequentes inclinantur.

Elaborandum eſt itaque ſacerdotibus, vt ignorantiam à ſe quaſi quandam peſtem abijciant. Licet enim ſeruus naſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, dicatur vapulare paucis, nō tamen hoc de omnibus generaliter intelligitur. Ait enim Apoſtolus. Qui ignorat ignorabitur. Quod de eo intelligendum eſt, qui noluit intelligere, vt bene ageret.

Et Leo epiſt. 22. diſt. 38. c. ſi in laycis vix tolerabilis videtur in Scitia quāto magis in ijs qui præſunt, nec excuſatione digna eſt, nec venia.

Et Zepherin. epiſt. 1. cap. ſicut. 38. diſt. ſicut ſtellas cœli non extinguit nox, ſic mentes fidelium firmamento inhærentes ſanctę ſcripturæ nō obſcurat mundana iniquitas.

Et Hierony. ad Euſtochiũ in Proemio Comment. in Eſaiam. c. ſi iuxta. 38. diſt. ibi. ſi iuxta Apoſtolum Paulum, Chriſtus Dei virtus eſt, Deiq́. ſapientia, & qui neſcit ſcripturas, neſcit Dei virtutem, eiusq́. ſapientiam, ignoratio ſcripturarũ, ignoratio Chriſti eſt.

Et Greg. in Paſto. p. 1. c. 1. diſt. 38. qui ea, quæ Dei ſunt ſapiunt à Domino ſapiũtur, & qui ea quæ Dei ſunt neſciunt à Deo neſciuntur, Paulo atteſtante, qui ait ſi quis ignorat ignorabitur, idẽ qui cunque ſtultus eſt in culpa, erit ſapiens in pęna.

Sed quæritur an ſecularibus literis oporteat eum eſſe eruditum.

RESpond. affirmatiue, legitur enim quod Moy-

Exod. 3. ſes, & Daniel omni ſcientia Ægyptiorum, & Caldæorum eruditi fuerunt. Legitur etiã, quod præcepit Dominus filijs Iſrael, vt expoliarẽt Ægyptios auro, & argento moraliter inſtruens, vt ſiue aurum ſapientiæ, ſiue argentum eloquentiæ apud Poetas inuenerimus, in vſum ſalutiferæ eruditionis vertamus. Dan. 1.

In Leuitico etiam primitias mellis, id eſt dulcedinem humanæ eloquentię, Domino iubemur offerre.

Magi quoque tria munera obtulerunt Domino, in quibus nonnulli tres partes philoſophiæ volunt intelligi. Denique vt in expoſitione Pſalterij Caſsiodorus teſtatur; Omnis ſplẽdor rhetoricę eloquentiæ, omnis modus poeticæ locutionis, quælibet varietas decoræ pronuntiatio- Caſs.

nis à diuinis ſcripturis ſumpſit exordium.

Hinc & Ambroſ. ait ſuper epiſtolam Coloſſen. Omnis ratio ſcientiæ ſupernæ, vel terrenæ creaturæ in eo eſt, qui eſt caput earũ, & auctor: vt qui hunc nouit, nihil vltra quærat, quia hic eſt perfecta virtus, & ſapientia, quicquid alibi quæritur, hic perfecte inuenitur. In Daniele, & Salomone oſtendit in fidelibus ſe totius auctorem ſapientię; quod in fideles non putant, quia non legunt in Euangelijs, & Prophetis aſtrologiã, geometriam, & alia huiuſmodi, quæ ideo deſpecta ſunt à noſtris, quia nihil valent ad ſalutem, ſed mittunt in errorem; & dum his ſtudent, curã animæ non habent. Qui verò Chriſtum nouit theſaurum ſapientiæ, & ſcientiæ inueniet,

quia id nouit, quod vtile eſt.

Secundo quia licitum eſt vocare ancillas ad obſequiũ Dominæ earum, ſed omnes alię ſcientiæ famulãtur Theologiæ, ergo licitum eſt vacare literis humanis.

Reſp. dicendum cum Turrecr. c. 1. 37. diſt. quod hic ſunt duo articuli declarandi. In primo oſtenditur, quod licitũ eſt, & vtile valde ſtudiũ generaliter totius philoſophiæ, ſiue ſcientiarum ſecularium; in hoc oſtenditur hoc idem in ſpeciali de ſtudio liberalium artium. Circa hunc articulum ſit iſta concluſio. Licitum eſt fidelibus, & etiã clericis ſtudiũ philoſophiæ, ſiue ſcientiarum ſecularium. Patet primo concluſio exemplo Pauli, qui aliqua Philoſophorum dicta, & Poetarum, ſuis ſcripturis inſeruit, vt pa

tet. 1. Cor. 15. & ad Tit. 1. & 1. Cor. 15.
actu. 17. Cæterum Hierony-
mus ad magnum Oratorem
Vrbis Romæ ſcribens oſten-
dit, quod Doctores ſcripturę
poſſunt allegare dicta ſapien
tium hominum, & philoſo-
phorum; Vnde Salomon Pro-
uerbiorum. 1. docet, quod au
diantur verba ſapientium, &
enigmata eorum ideſt Philo-
ſophorum, & idem Hierony-
mus ad Damaſum Papam in- Deut. 21.
ducit illud Deut. 21. de mu-
liere captiua ad amanda, &
in vxorem ducenda, ſcilicet
ſapiẽtia Philoſophorum, vbi
ſic ait. Et nos hoc facere ſo-
lemus, quando Philoſophos
legimus, quando in manus
noſtras veniunt libri ſapien-
tię ſecularis, ſi quid in eis vti
le reperimus ad noſtrũ dog-
ma conuertimus. Si quid ve-
rò ſuperfluum de idolis, de

amore, de cura ſecularium re rum hoc raſimus . Ratione ſic probatur concluſio, fideli bus,& clericis licitum eſt ſtu dere in his ſcientijs,per quas perficitur intellectus humanus.In hoc enim videtur per fectio hominis conſiſtere, vt intellectus eius de potentia reducatur in actum, quod fit per cognitionem veritatis.
Dion. Dicit enim Dionyſius. 4. de diuin. nomin. quod bonum animæ humanæ eſt ſecundum ratioñe eſſe, cuius perfectio in cognitione veritatis conſiſtit.Non eſt autem dubium, quin per ſcientias ſeculares intellectus humanus multarum veritatum conſequatur cognitionem, ergo licitum erit clericis illis ſtudore , & in illis erudiri .

Secunda concluſio ſtudiũ ſcientiarum ſecularium eſt

multi-

multipliciter vtile. Primo
ad exercitationem, & ſubti-
liationem ingeniorum, vt pa
tet per Aug. in lib. de Doct. Aug.
Cariſt. vbi dicit, quod per hu
iuſmodi humanarum ſcien-
tiarum ſtudia, acutiora, &
ſubtiliora redduntur inge-
nia, propter quod dicit Be-
da in quadã gloſſ. ſuper lib.
reg. & habetur in c. 8. 37. diſt.
Turbat acumen ingeniorum
legentium, & deficere eos
cogit, qui eos à legendis ſe-
cularibus libris omnino exi-
ſtimat prohibendos.

Secundo eſt vtile harum
ſcientiarum ſtudium ad intel
ligentiam ſcripturarum diui
narum, ſecundum quod acci
pitur ab Auguſtino vbi ſupra
ſcilicet de Doct. Chriſt. vbi
dicitur, quod tripliciter im-
peditur quis ab intelligentia
ſcripturarum, videlicet aut

per

per ignorantiam rerum, aut per ignorantiam ſignorum, aut per ignorantiam ambiguarum concluſionum. Et ideo in iſtis tribus conuenit nos adiuuari ſcientijs ſecularibus, aut ſcilicet in ſignis intelligendis, ſiue in rebus cognoſcendis, aut in ambiguis diſſoluendis.

Tertio eſt vtile ſtudiũ Philoſophiæ, ſiue ſcientiarum ſecularium ad veritatis defenſionem, & falſitatis impugnationem, ſicut accipitur ab Aug. ſuper Gen. ad literam. Nouerunt enim inquit, infideles multi, & impij plura de motu corporum cœleſtium, & figura eorum de ponderibus elementorum, & qualitate eorum, vnde cum ſcripturæ ſecundum ſuperficiem literæ videatur interdum contraria illis, quæ certa ratione viden-

videntur, & probantur, qui eorum non habet notitiam, quomodo valebit eorum calumnias repellere, aut ſcripturam, & recte ipſam exponere, quaſi diceret, nullo modo, vnde etiam Iſidorus, & habetur in c. qui de menſa. 37. diſt. ſi quiſpiam contra Mathematicos velit ſcribere imperitus Matheſeos, riſui patet, & aduerſus Philoſophos diſputans, ſi ignorat dogmata Philoſophorum, & hoc de primo articulo.

Circa ſecundum articulū ſit iſta concluſio; ſeptem artium liberalium, eſt vtile ad Theologiam addiſcendam, patet iſta concluſio diſcurrēdo per ſingulas earum. Pro quo eſt notandum (vt prætactum eſt) quod ſcientijs ſecularibus poteſt ſe iuuare Theologus, maxime in tribus ſibi neceſ-

neceſſarijs valde, ſcilicet in ſignis intelligendis, in ambiguitatibus diſſoluendis,& in rebus, & earum proprietatibus cognoſcendis.

Sed conſtat, quod in ſignis intelligendis iuuatur homo per grammaticam, quæ eſt prima artium liberalium. Ad hoc enim quod ſit inſignis integritas, oportet nos vitare ſolæciſmos, & barbariſmos, ſicut docet Auguſt. quod nos facere non poſſumus, niſi per grammaticam. Vtuntur etiã Doctores ſacrę ſcripturæ tropicis locutionibus, & hoc multiplicius, quam poſſunt cogitare, vel credere, qui eos neſciunt, idem Aug. docet. 3. de Doct. Chriſtiana,& ita patet vtilitas, immo neceſsitas artis grammaticæ ad hos tropos intelligendos.

Aug.

Neceſsitas, ſiue vtilitas ar-

tis

tis logicæ etiam patet. Sunt enim in ſacra ſcriptura multæ ambiguitates, & difficiles quæſtiones, ad quas intelligẽdas, & diſſoluendas, neceſſaria eſt nobis logica, vnde Auguſt. 2. de Doct. Chriſt. Diſputationis diſciplina, ideſt logica ad omnia genera quæſtionum (quæ in literis ſunt penetranda, & diſſoluenda) plurimum valet. Sunt tamen ibi tria cauenda, ſcilicet libido riſſandi, intentio decipiẽdi, & præeminentia ſuperandi aduerſarium.

Hoc etiam modo patet de rhetorica, quoniam venuſtas ſermonis, quæ habetur per artẽ rhetoricæ, multum eſt vtilis, eo quod ſecundum Tulliũ multos mouet venuſtas eloquij, quos ſine ea moueret qualitas facti.

Quarto idem patet de vti-

litate

litate arithmeticæ. Nam ſcriptura ſancta multum loquitur de numeris, quorum imperitia, vt dicit Aug. multa facit obſcura, quæ ſunt non propriè, ſed transſumptiuè, & myſticè poſita.

Aug.

Quinto vtilis eſt etiam muſica, dicente Aug. lib. de ordine. Ad iſtarum, inquit rerum cognitionem neminem arbitror debere aſpirare, ſine illo duplicis ſcientiæ bono, ſcilicet diſputationis, logicæ, & numerorum, ſcilicet muſicæ, quia de muſicis loquitur, ſcilicet de cytara, tympano, & choro, & huiuſmodi, ad quarum cognitionem vtilis eſt muſica.

Aug.

Sexto vtilis eſt aſtrologia, cùm ſacra ſcriptura interdũ loquatur de Sole, Luna, & Stellis, quarum cognitio ſpectat ad aſtrologiam.

Septi-

Septimo vtilis eſt geometria. Loquitur enim ſcriptura ſacra de altitudine cœli, & latitudine terræ, & huiuſmodi, ad quæ cognoſcenda vtilis, & neceſſaria eſt ſcientia geometricę. Patet ergo, quod vniuerſaliter omnes artes liberales, & diſciplinæ valent ad pleniorem intelligētiam, & notitiam diuinarum ſcripturarum. Et per conſequēs licitum eſt immo perutile in illis ſtudere, dummodo in eis quis diſcretè ſtudeat, & ordinate, & recte ideſt bona intētione.

His habitis pro ſolutione authoritatum, quę poſſent adduci in contrarium eſt notandum, quod cum ſcientia ſit perfectio intellectus, immo ſit etiam virtus intellectualis, vſus eius nō vituperatur, ſed abuſus, qui eſt multiplex,

primo, videlicet cũ quis turpibus ſcriptis amatorijs, & huiuſmodi inficitur, hoc .n. reprehendit Hieronymus ſuper epiſtolam ad Epheſ. & habetur in c. legant. 37. diſt. ſecundo cum aliquis ad iſtas has ſeculares ſcientias, tamquam in eis propter ſe delectatur, & non ordinans eas ad veram ſapientiam, cum tamen Philoſophi ad ſapientiã humanam omnes ſcientias ordinari dicant, ſed potius ex earum delectatione decepti, ſacram ſcripturam negligunt, dediti ſtudio ſeculariũ ſcientiarum. Hinc etiam filius prodigus, qui relictis paternis dapibus, quærit ventrem ſuum repleri ſiliquis
Raba. porcorum, vt dicit Rabanus lib. de Eccleſiaſticis ſcripturis, & habetur in. c. legimus ea. d. propter hoc etiam refert

fert Hier. de diuino iudicio flagellatum, qui ita ſe ſcientijs ſecularibus dedicauerat, quod cum interdum Prophetas aſſumeret ſermo horreret incultus, de quo in prædicto.c. legimus. Tertio cum eis aliquis, non ſolum diſcit, ſed etiam docet, & per hoc derogat eccleſiaſticæ dignitati in ſe ipſo; vnde Gregorius reprehendit quendã epiſcopum, qui contra epiſcopale officium pro lectione euangelij populo grammaticam exponebat.

De hoc articulo vide quæ dixi in ſumma Decret. 37. diſtinct. art. 1. Autor.

Vnde Gratian. in. 2. p. diſt. 37. Cur ergo legi prohibentur, quæ tam rationabiliter legenda probantur, ſed ſeculares literas quidam legunt ad voluptatẽ, poetarum figmen- Grat.

mentis, & verborum orna-
tu delectati, quidam vero ad
eruditionem eas addiſcunt,
vt errores Gentilium legen-
do deteſtentur, & vtilia, quæ
in eis inuenerint ad vſum ſa-
cræ eruditionis deuotè con-
uertant, tales laudabiliter ſe
culares literas addiſcunt.

Hinc Ambroſ. in Proem.
ſuper Lucam. c. legimus. 37.
diſt. legimus aliqua ne negli
gantur, legimus ne ignore-
mus, legimus aliqua, non vt
teneamus, ſed vt repudiemus.

Item quæritur an ſeculariũ negotiorum oporteat præ latos habere peritiam?

RESpond. hanc Prælatis eſ
ſe neceſſariam multis ra
tionibus probatur: Debent
namque Prælati ſubditis non
ſolum ſpiritualia, ſed etiam
car-

carnalia ſubſidia miniſtrare, exemplo Chriſti, qui turbas ſequentes non ſolum verbo docebat, ſed etiam virtute ſanabat, & corporalibus alimẽtis reficiebat. Vt autem prȩlati hȩc omnia plene poſsint perficere ſecularium negotiorum, oportet eos habere ſolertiam, vt eorum cautela, & eccleſiȩ ſeruentur indemnes, & cuique neceſſaria pro ſuo modo miniſtrentur. Vnde quidam in Epiſcopum electus, à Beato Gregorio pro ſua ſimplicitate repellitur, ne eius occaſione res Eccleſiȩ dilapidarentur. Gratian. 39. diſt. in princ.

Sic enim ſcribit Greg. clero, & nobilibus Neapo. lib. 8. epiſt. 40. c. Petrus. 39. diſt.

Petrus Diaconus, quem à vobis electum aſſeritis, omnino (vt dicitur) ſimplex eſt,

&

& nobis, quia talis hoc tempore in regiminis debet arce conſtitui, qui non ſolum de ſalute animarum; verum etiã de extrinſeca ſubiectorum vtilitate, & cautela ſciat eſſe ſolicitus. c. Petrus. 39. diſt.

S. Ant. §. 1. Cap. V. Oportet quoque Epiſcopum eſſe ornatum.

ORnamenta epiſcopalia, virtutes debent intelligi, quæ à Domino eis repromittuntur, cum dicitur (ſacerdotes eius induam ſalutari) vnde in veteri teſtamen-
Pſalm. 131. to varijs veſtibus ex præcepto Domini ſacerdotes ornati leguntur; quia multimo-
Exod. 28. dis virtutibus debet ſplendere vita Pontificis, vt gradui conferat decorem, quem ab eo non accepit: Non enim loca, ſed vitá, & mores ſan-

ctum faciunt ſacerdotem: vnde ex ſuſcepto officio non licentiam peccandi, ſed neceſſitatem bene viuendi ſe nouerint aſſecutos Grat. 40. diſt. in princ.

Vnde Hieronym. in epſt. 1. ad Heliodorũ. c. non eſt. 40. diſt. Non eſt facile ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri iã cum Chriſto regnantiũ; quia hinc dicitur, non ſanctorum filij ſunt, qui tenent loca ſanctorum, ſed qui exercent opera eorum.

Et Greg. in c. 3. diſt. 40. Nos qui præſumus, non ex locorum, vel generis dignitate, ſed morum nobilitate innoteſcere debemus, nec vrbium claritate, ſed fidei puritate.

Idem lib. 6. epiſt. 29. c. Nõ loca. 40. diſt. Non loca, vel ordines Creatori noſtro, nos

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

proximos faciunt, ſed ei nos merita bona iungũt, aut mala diſiungunt.

Et Ambroſ. in libr. de Paradiſo. c. 4. c. illud. 40. diſt.

Illud autem animaduerte, quia extra Paradiſum vir factus eſt, & mulier intra Paradiſum, vt aduertas, quod non loci, non generis nobilitate, ſed virtute vniuſquiſque gratiam ſibi comparat. Deniq́. extra Paradiſum factus, hoc eſt in inferiore loco, vir melior inuenitur, & illa quæ in meliore loco, hoc eſt in paradiſo facta eſt, inferior reperitur.

Et Greg. lib. 6, Reg. epiſt. 5. c. quælibet 40. diſt.

Quælibet occulta loca, ſine gratia Dei animam ſaluare non poſſunt, quod aliquando in ipſis quoque conſpicimus erratibus electorum. Nã

Loth

[library stamp]

Loth in ipſa peruerſa Ciuitate fuit iuſtus, in monte peccauit. Sed cur iſta dicimus cũ maiora nouerimus: Quid enim Paradiſo iucundius? quid Cœlo ſecurius? & tamen Homo, ex Paradiſo, & Angelus de Cœlo peccando cecidit.

Et Chriſoſt. in homil. 43. ad c. 23. Mat. in c. multi. 40. diſt.

Multi ſacerdotes, & pauci ſacerdotes; multi nomine, & pauci opere. Videte ergo, quomodo ſedetis ſuper cathedram, quia non cathedra facit ſacerdotem, ſed ſacerdos cathedram; non ſanctificat locus hominem, ſed homo locum; non omnis ſacerdos ſanctus, ſed omnis ſanctus ſacerdos. Qui bene ſederit ſuper cathedram, honorem accipit ab illa; qui ma-

le ſederit, iniuriam facit cathedræ; ideoque malus ſacerdos de ſacerdotio ſuo crimen acquirit, non dignitatē. In iudicio enim ſedens, ſi quidem bene vixeris, & bene docueris, omnium Iudex es: ſi autem bene docueris, & male vixeris, tui ſolius condemnator eris. Nam bene viuendo, & bene docendo, populum inſtruis, quomodo debeat viuere: bene autem docendo, & male viuēdo, Deum inſtruis, quomodo te debeat condemnare?

Quicunque deſiderauerit primatum in terra, inueniet confuſionem in cęlo: nec inter ſeruos Chriſti computabitur, qui de primatu tractauerit; nec vnuſquiſque eorū feſtinet, quomodo alijs maior appareat, ſed quomodo omnibus inferior videatur;

quo-

quoniam non qui maior fuerit in honore ille eſt iuſtior, ſed qui fuerit iuſtior, ille maior. Conuerſatio ergo melior eſt deſideranda, non dignior gradus.

Epiſcopi ergo debent eſſe ornati virtutibus, ita vt dignitas eccleſiaſtica honoretur per eos, oſtendendo etiã, quod nec locus, nec dignitas dant virtutes, ſed iſta præſuponit illas, vnde in Pſal. 131. Pſalm. 131.
ſacerdotes eius induantur iuſtitia. Iuſtitia autem ſecundum Philoſopſum, eſt omnis virtus, & ſecundum Chiſoſt. ſuper Mat. 5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, hoc eſt omnis virtus, qui ornatus conſiſtit maximè in quatuor virtutibus Cardinalibus, vnde Hieronym. ad Nepotianum. Vis ſcire quales Deus quęrat ornatus, habeto iuſtitiam,

temperantiam, prudentiam, fortitudinē. Nihil enim hoc monili prætioſius, nihil hac gemmarum varietate diſtinctius, hęc enim ornamenta tibi ſunt, & ſcuta: Tali enim ornamento debet Rector Eccleſiæ veſtiri Eccl. 32. Rectorem te poſuerunt, poſt ornamentum accipies coronam, & Eſaiæ. 49. his quaſi ornamēto veſtieris, Turrecr. diſt. 40. in princ.

Eſa. 49

Oportet etiam Epiſcopū non ſolum eſſe ornatum in interioribus, qui conſiſtit in virtutibus, & vitæ ſanctimonia, ſed etiam in exterioribus, qui conſiſtit in quatuor videlicet, in inceſſu, habitu, cibo, & potu, in inceſſu debet eſſe grauitas, vt ſcilicet raro, & moderato greſſu incedat, vt ſic grauitate itineris oſtendat grauitatem mentis:

In

In habitu debet eſſe honeſtas, vt non ſint veſtes inciſę, vt ioculatorum, aut diuerſo colore, vel non aptæ religioni clericali fucatæ: in cibo, & potu, debet eſſe ſobrietas, & temperantia, vt ſcilicet, nec ſit immoderatus, nec minus remiſſus, nec diuerſus à cibo, & potu illorum, cum quibus viuitur, in cibo, & potu illorumque ſumptione non rei quantitas, ſed ſumendi cupiditas culpabilem facit, Turrecr. 41. diſtinct. in princ. Turrecr.

Vnde Hieronym. Nec affectatæ ſordes, nec exquiſitę delitiæ laudem pariunt, quod tam de veſtibus, quàm de cibis intelligendum eſt. ſecundum Gratian. 41. diſtinct. in princ.

Et in Concil. Gangren. c. vlt. c. Parſimoniam. 41. diſt.

Parſimoniam cum veſte humili non reprobamus, ſicut etiam ornatum præter corporis diligẽtiam infucatum laudamus. Diſſolutos autem, & fractos in veſtibus inceſſus non recipimus.

Et in Concil. Carthag. 4. c. 15. Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam, ac victũ pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide, & vitæ meritis quærat.

c. Epiſ. 41. diſt.

Et in eod. c. 45. cap. vlt. 41. diſt. clericus profeſsionẽ ſuã, & habitu, & inceſſu probet, & ideo nec veſtibus, nec calciamentis decorem quærat.

Et in Concil. Generali. c. clerici de vita, & hon. ibi clauſa deferant deſuper indumẽta, nimia breuitate, vel longitudine non notanda. Pannis rubeis, aut viridibus, necnon mani-

manicis aut ſutilaribus conſuticijs, frænis ſellis pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus non vtantur.

Et in Concil. Trid. ſeſſ. 14. c. 6. quia vero, & ſi habitus non facit monachum, oportet tamẽ clericos veſtes propriò congruentes ordini ſemper deferre, vt per decentiã habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant.

Iuxta prædicta quæro, vtrũ quilibet teneatur in rebus temporalibus, nempe in cibo, & veſtitu, conformari moribus eorum cum quibus viuitur.

RESpon. affirmatiuè facit quod dicit Aug. libr. 3. de Doct. Chriſtiana. c. 12. c.

quiſquis .41. diſtinct.

Quiſquis rebus prætereuntibus reſtrictius vtitur, quàm ſeſe habent mores eorum, cum quibus viuit, aut intemperans, aut ſuperſtitioſus eſt. Quiſquis verò ſic eis vtitur, vt metas conſuetudinis bonorum, inter quos verſatur, excedat, aut aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt. In omnibus enim talibus, nō vſus rerum, ſed libido, vtentis in culpa eſt.

Quid igitur locis, & temporibus, & perſonis conueniat, diligenter attendendum eſt, ne temere flagitia reprehendamus, fieri enim poteſt, vt ſine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis, prętioſiſsimo cibo ſapiens vtatur: inſipiens autem fœdiſsima gulæ flamma in vıliſsimum olus ardeſcat, & ſanius quiſ-

que maluerit, more Domini piſce veſci; quam lenticula more Eſau nepotis Abrahæ, aut ordeo, more iumẽtorum: Non enim propterea continentiores nobis ſunt plereq́; beſtiæ, quia vilioribus aluntur eſcis. Nam in omnibus huiuſcemodi rebus non ex earum rerum natura, quibus vtimur, ſed ex cauſa vtendi, & modo appetendi, vel probandum, vel improbandum quod facimus.

Reſpond. dicendum, quod mores illorum, cum quibus viuit homo, aut conſonant rectæ fidei, & ſanæ rationi, aut ſunt contra fidem, & rectam rationem, vt ſunt mores vitioſi. Si enim ſunt mores conformes veritati, & rectæ rationi, tunc eſt concluſio. Quod oportet ſe illis cõformare quantum cum bona

conſcientia poteſt, ne ponat ſcandalũ fratri ; vnde Apoſt. ad Rom. 14. Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem munda ſunt, ſed malũ eſt, homini qui per offendiculum manducat. Bonum eſt non manducare, & non bibere vinum, in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Dico autem, quantum poteſt cum bona conſcientia. Nam ſi quis vouiſſet non comedere carnes, quando alij comedunt, aut non bibere vinum, quando alij bibunt, tales tenentur abſtinere, obſeruando votum, iuxta Deut. 23. cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. tenentur etiam obſeruare pœnitentias, ſi ſuper his fuerit, eis aliqua iniuncta. Et ſimiliter, ſi quis propter infirmi-

Rom. 14.

Deut. 23.

tatem,

tatem, aut corporis ſui ſanitatem, aut propter aliam neceſſariam cauſam abſtinuerit, excuſatur, non conformãdo ſe moribus conuiuẽtium, qui plus obligatur ad obſeruantiam in abſtinentia, vel pœnitentia iniuncta, ad ſalutem corporis abſtinendo cõſeruandam, quam ad viuendũ iuxta mores vicinorum. Nam ſic non obſeruando mores illorum, non dat cauſam ſcandali, nec ſecundum rectam rationem cõtra ſic abſtinentem debent alij ſcandalizari. Quod ſi ſcandalizati fuerint ſcandalum eſt ſine cauſa data; ſed tamen ex cauſa ſine ratione accepta, vnde eſt ſcandalum paſsiuum, non actiuum, quale fuit ſcandalũ Phariſeorum, qui ſcandalizati ſunt in verbo Chriſti Mat. 15. quorum ſcandalum Chriſtus

ſtus non curauit dicens. Sinite eos. Ceci ſunt, & duces cæcorum. Votum igitur abſtinentiæ, aut pœnitentia, aut ſanitas corporis, non debet violari propter obſeruãtiam talium morum. Si autẽ mores eorum inter quos viuit, ſint contra fidem, aut bonos mores non ſunt obſeruãdi, nec illorum ſcandalum eſt curandum in hoc, quia vt dicit Greg. ſalubrius ſcandalũ naſci permittitur quã, quod veritas præſertim vitæ relinquatur, vnde Loth, laudabiliter mores ſodomitorum nõ obſeruauit. Gen. 19. Turrecr. c. 1. diſt. 41. Dixi in ſumma decr. diſt. 41. art. 1.

Gen. 19. Autor.

Sicut ergo in cibis mores eorum cum quibus viuimus, obſeruare monemur, ſic & de indumentis intelligendũ eſt. Vt enim alibi dicitur. Quisquis

quis contemptis his, cum quibus viuit, lautiora ſibi, vel auſteriora præ cæteris indumenta, vel alimenta quærit, aut intemperans ſui, aut ſuperſtitioſus eſt. In inceſſu autem debet eſſe ſacerdos ornatus, vt grauitate itineris, mentis maturitatem oſtendat. In compoſitio enim corporis, (vt Aug. ait) in æqualitatem indicat mentis. Vnde Hiſtoriographus ille cũ eius mutabilitatem deſcriberet, cuius conſcientia excitat curis mentem vaſtabat; inter cætera hoc etiam notabile iudicauit, dicens. Citus modo, & modo tardus inceſſus. Grat. 41. diſt. in fine. Grat.

Cap. VI.

HOſpitalem verò Epiſcopum eſſe oportet, ne ſit S. Ant. §. 6.

in

in numero eorum, quibus in iudicio dicetur (Hoſpes eram & non ſuſcepiſtis me:) Qui.n.

Mat. 25 Apoſtolum ſecutus alios ad hoſpitalitatem debet inuitare, quomodo hoſpitalitatis exortator poterit eſſe, qui domum propriam hoſpitibus claudit? Si enim ſacerdos primum à ſe ipſo, & à domeſtica eccleſia ſua debet exigere, quod poſtea populis imperet, ſi primum imitando Chriſtum, ipſe debet facere, quæ poſtea populum doceat neceſſe eſt, vt pauperes hoſpitio recipiat, quo ad hoſpitalitatem facilius ſuo exemplo

42. diſt. ſubditos attrahat.

Ordinandus itaque ſacerdos ad memoriam reuocet, quomodo Abraham, & Loth per hoſpitalitatis opera, Deo placuere, & Angelos hoſpitio meruerunt recipere;

quo-

quomodo Angeli Sodomis hoſpitalem domum ingreſsi, Loth cum familia ſua liberauerunt; quomodo clauſas domos cum hoſpitibus ignis ingreſſus perdiderit.

Quomodo etiam ſecundũ Hierony. aliena rapere conuincitur, qui vltra neceſſaria ſibi retinere probatur, ac ſi ꝑ opera pietatis ſe inſtruat, vt & præſentis vitæ ſubſidia, & æternæ claritatis pręmia à Deo percipiat; vtrumque enim pietati promittitur. Hyer.

Vnde Apoſt. ſcribens ad Timot. ait (Exerce te ipſum ad pietatem. Nam corporalis quidẽ exercitatio ad modicum vtilis eſt; pietas autẽ eſt vtilis ad omnia, habens promiſsionem vitę, quę nunc eſt, & futurę) Ab ac quisquis alienus fuerit in ſacerdotem ordinari non poterit.

Si enim vidua in Eccleſia recipi prohibetur, quæ pauperes non reeipit hoſpitio, quę pedes ſanctorum non lauit, quæ omne opus bonum non eſt executa; multo magis ſunt prohibendi à ſacerdotio, qui ab opere pietatis probantur alieni. Vnde hoſpitalitatis opera deſpicientes, in Gangrenſi Concilio excōmunicantur, ſic enim in eo ſtatutum eſt. c. 11.

Conc. Gang.

Si quis deſpicit eos, qui fideliter agapas, ideſt conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei conuocant fratres, & noluerit communicare huiuſcemodi vocationibus, parui pēdens quod geritur, anathema ſit.

Hinc etiam Ioannes Euangeliſta in epiſtola ſua quen- Diotrephem excōmunicat, qui nec pauperes recipiebat,

bat, & recipientes de eccleſia eijciebat. In hoſpitalitate autem non eſt habendus de lectus perſonarum, ſed indifferenter quibuſcunque ſufficimus, hoſpitales nos exhibere debemus. Vnde Ioan: Chryſ. in epiſt. ad Heb. hom. 11. ad c. 6. Chriſ.

Quieſcamus ad hoc abſurda curioſitate, & diabolica, & peremptoria, ſi enim in clero ſe eluctum eſſe dicat, ſi ſacerdotem ſe nominet, ſcrutare: non enim ſine periculo in talibus indiſcuſſa communicatio eſt: circa maiora periculum vertitur, nõ enim das, ſed accipis. Si vero pro nutrimento poſtulat, nihil in his examines inquire. Quomodo Abraham hoſpitalem ſe circa omnes oſtendebat. Si ſcrutator fuiſſet circa refugientes ad ſe, nunquam An

gelos

gelos hoſpitio recepiſſet. Fortaſsis enim non putans eos Angelos eſſe, cum reliquis, & hos repuliſſet: Sed quoniam omnes recipiebat, ſuſcepit, & Angelos. Non enim ex vita eorum, quos accipis, mercedē tibi retributurus eſt Deus sed ex voluntate tua, ex liberalitate, ex honorificentia multa, ex miſericordia, & ex bonitate.

Hoſpitalitas verò vſque adeo Epiſcopis eſt neceſſaria, vt ſi ab ea inueniantur alieni, iure prohibeantur ordinari Grat. 85. diſt. in princ. Grat.

Generaliter etiam pauperibus, & ijs, qui ſuis manibus laborare non poſſunt, Epiſcopus neceſſaria prouideat Gratian. 82. diſt. in princ.

Conc. Aurel. Vnde in Concil. Aurelianenſi. 1. c. 18. c. Epiſcopus 82. diſt. Epiſcopus pauperibus,

bus, vel infirmis, qui debilitate faciente non poſſunt ſuis manibus laborare, victum, & veſtitum, in quãtum ſibi poſſibile fuerit largiatur.

Epiſcopi igitur debent hoſpitales eſſe multis rõnibus.

Primo quia ne incurrant maledictionem æternæ damnationis, quæ præparata eſt ijs, qui miſericordiam pauperibus negant, vt Mat. 25. ibi oſpes eram &c.

Secundo quia non poterunt alios exhortari conuenienter ad hoſpitalitatem, ſicut debent, niſi ipſi hoſpitalitatẽ teneant, Epiſcopus.n. ſequendo Apoſtolũ exhortantem cæteros ad hoſpitalitatẽ ſeruandam ad Rom. 12. ibi hoſpitalitatem ſectantes, debet alios inducere ad tenendum hoſpitalitatem, quod male poterit ſi ipſe non teneat.

Ter-

Tertio quia Epiſcopi exẽplo Chriſti debent facere, vt non ſolum verbo, ſed exemplo prædicẽt, per facta enim obtemperatur doctrinæ ſecũdum Philoſ. 7. Eth. vnde dicit credibiliora ſunt facta, quã verba.

Phil. 7. Eth.

Quarto exemplo Abraę, & Loth Gen. 19. quorũ Domus ſemper hoſpitibus apertæ erant, non autem ſodomitarum quæ hoſpitibus erant clauſę, in quorum opprobriũ Angeli dixerunt in platea manebimus.

Quinto quia negare opus pietatis in neceſsitate pauperibus eſt commictere peccatum rapinæ, cum tempore neceſsitatis bona, & præſertim clericorũ ſint bona pauperum, & eis communicanda. c. ſicut. 48. diſt.

Sexto ex parte præmij vitæ

tæ æternæ, pietas enim qua quis hominum ſaluti prouidet, vtilis eſt ad omnia, ideſt ad temporalia, & ſpiritualia acquirenda, vnde Hier. ſuper illud oportet Epiſcopum eſſe hoſpitalem. Dicit hoſpitalitas futuro, ideſt conſecrando Epiſcopo annuntiatur. Si enim omnes illud in euangelio audire deſiderant, hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me: quanto magis Epiſcopus cuius domus eſſe debet commune hoſpitium; laycus enim vnum, aut duos ſuſcipiens, implebit hoſpitalitatis officium, Epiſcopus autem, niſi omnes recipiat in humanus eſt. Turrecr. 82. diſt. in princ.

Præter iſta, poſſumus addere alia, quæ ad hoſpitalitaté, nõ modo Epiſcopos, ſed omnes homines inclinare debent. Eſt enim hoſpitalitas

mul-

tum laudanda, amplectenda, & inquirenda, & amanda. Primo quia in ſe eſt res, valde decora, & honeſta. Sacra.n. res eſt menſa hoſpitalis, vt dicit Seneca. lib. 4. de officijs, & Tullius lib. de officijs. Recte inquit laudanda eſt hoſpitalitas, eſt enim vt mihi videtur valde decorum patere domus hominum illuſtrium hominibus illuſtribus.

Secundo, quia hoſpitalitas diſponit ad ſuſceptionē diuinæ gratiæ, & præparat, quod oſtenſum eſt. Lucæ vlt. vbi diſcipuli cognouerunt dominum coactum hoſpitari, cum eis, etiam in fractione panis. vnde Greg. in Homilia: ipſe quoque dominus non eſt cognitus à diſcipulis in via dū loqueretur, & in domo cognoſci dignatus eſt, dum paſceretur, ſic etiam, quandoq; diui-

Luc. vlt.

diuina cognitio infunditur hoſpiti, vel hoſpitis gratia alicuius ſancti viri in hoſpitio recepti.

Tertio quia hoſpitalitas bona temporalia multiplicat, exemplo viduæ, quæ Heliam in hoſpitio recepit, cui toto tempore fauus, farina, & oleum non defuerunt. 3.
Reg. 17. 3. Reg.
Quarto, quia à malo etiam 17.
temporali ſeruat exemplo Rab. quæ quia recepit nuntios filiorum Iſrael, ideo cũ parentibus ſuis ſeruata eſt: Ioſue. 6. & omnes alij ciues occiſi ſunt.

Quinto, quia meretur Angelos recipere, exemplo de Abraham, & Loth. Vnde Apoſtol. ad Hebr. vlt. hoſpitalem nolite obliuiſci, per hanc .n. quidam placuerunt Angelis hoſpitio receptis; vnde Hie-

 ronym.

ronym. Abraham, & Loth Angelos ſuſceperunt, quia hoſpites dilexerunt.

Sexto hoſpitalitas eſt amã-
Mat. 5 da; quia Deum meretur recipere Matt. 10. Qui vos recipit, me recipit. & Mat. 5. Qui recipit vnum talem paruulũ in nomine meo, me ſuſcipit; vnde Hieronym. ad Nepotianum: Menſula tua pauperes, & peregrinos ſuſcipiat, & cũ illis Chriſtus conuiua erit, hoc autem non modo accipiẽdum eſt, cum in membris ſuſcipitur Chriſtus, ſed etiã quandoque perſonaliter, vt narrat Greg. de multis tam in Dialogo, quàm in Homilijs Euangeliorum, quæ breuitatis gratia pertranſimus.

Turrecr. 42. diſt. in princ.

De qua dixi in Summa Decreti di-
Autor. ſtinct. 42.

Cap.

Cap. VII.

PVdicus quoque debet eſſe ſacerdos, vt & moribus, & verbis pudorem indeſinenter exhibeat, Gratian. 43. diſtinct. in princ. S. Ant. §. 7. Grat.

Eſt autem pudicitia quædam virtus animę ad caſtitatem ſpecialiter pertinens. S. Thom. 2. 2. q. 151. art. 4. ex mente Auguſt. de perſeuerantia. c. 20. Nomen enim pudicitiæ à pudore ſumitur, in quo verecundia ſignificatur: & ideo oportet quod pudicitia propriè ſit circa illa, de quibus homines maximè verecundantur: Maxime autē verecundantur homines de actibus venereis; vt Auguſt. dicit in 14. de Ciuit. Dei. c. 18. Intantum quod etiam cō cubitus coniugalis, qui honeſtate nuptiarum decoratur, S. Tho 2. 2. art. 4. Aug. Aug. de Ciu.

F 2 vere-

verecundia non careat. Et hoc ideo, quia motus genitaſium membrorũ non ſubijcitur imperio rationis, ſicut motus aliorum exteriorum membrorum. Verecundatur autem homo non ſolum de illa comiſtione venerea, ſed etiã de quibuſcunque ſignis eius: vt Philoſophus dicit. 2. lib. rethoricæ. c. 6. Et ideo pudicitia attẽditur propriè circa venerea, & præcipuè circa ſigna venereorum, ſicut aſpectus impudici, & oſcula, & tactus. Et quia hæc magis ſolent deprehendi, ideo pudicitia magis reſpicit huiuſmodi exteriora ſigna: caſtitas autem magis ipſam venereã comiſtionem. Et ideo pudicitia ad caſtitatem ordinatur, non quaſi virtus ab ipſa diſtincta, ſed ſicut exprimens caſtitatis circumſtantiã quã-

Phil. 2. reth.

dam

dam; interdum tamen vnum pro alio ponitur.

Virginitas verò has omnes virtutes ſuperat, de qua Sanctus Hieronym. lib. 1. contra Iouin. quod eſt in c. nuptiæ 32. q. 1.

Nuptię terram replent virginitas Paradiſum.

De hac virtute virginitatis, & pudicitię vide quę dixi in ſum. virtut. tit. 10. queſt. 20. & ſeq. Autor.

Iuxta prædicta quæro vtrũ conuenienter ab Ecclesia ſit ſtatutum, vt ordini ſacro votum continentiæ ſit annexum.

RESpond. affirmat. facit Innoc. III. in Concilio Generali. c. 14. quod eſt in. c. vt cler. de vita. & hon. cler.

Vt clericorum mores, & actus in melius reformentur continenter; & caſtè viuere ſtudeant vniuerſi, præſertim in ſacris ordinibus conſtituti, ab omni libidinis vitio prę cauētes, maximè illo propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, quatenus in conſpectu omnipotentis Dei, puro corde, ac mundo corpore valeant miniſtrare.

Ne verò facilitas veniæ, incentiuum tribuat delinquendi, ſtatuimus, vt qui cō-prehenſi fuerint incontinentiæ vitio laborare, pro vt magis, aut minus peccauerint puniantur, ſecundum canonicas ſanctiones, quas efficacius, & diſtrictius præcipimus obſeruari, vt quos diuinus timor à malo, non reuocat, temporalis ſaltem pœna cohibeat à peccato.

Si quis igitur hac de cauſa ſuſpenſus præſumpſerit celebrare diuina: non ſolum eccleſiaſticis beneficijs ſpolietur, verum etiam pro duplici culpa perpetuò deponatur.

Prælati verò qui tales præſumpſerint in ſuis iniquitatibus ſubſtinere, maximè obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari ſubiaceant vltioni.

Qui autem ſecundum regionis ſuæ morem, non abdicarūt copulam coniugalem, ſi lapſi fuerint, grauius puniantur; cum legitimo matrimonio vti poſsint.

Reſp. dicendum cum Turrecr. c. 1. 27. diſt. quod hoc ſtatutum de continentia clericorum, fuit ab eccleſia conuenienter, & rationabiliter, factum, quæ concluſio iuxta Dominum Bonauenturam S.Bon.

probatur ex tribus capitibus primo, quia eccleſia potuit, ſiue licuit. Secundo quia decuit. Tertio, quia expediẽs fuit. Potuit autem eccleſia facere hoc dupliciter. Tum propter authoritatem prælatorum, & maxime Pontificis ſummi. Tum propter cõſenſum ſubditorum. Propter auctoritatem namque potuit, quoniam, ſi omnia ſacramenta auctoritatẽ recipiant indiſpenſante aliquo modo maxime ſacramentum illud ordinis, in cuius ſignum in ordinis datione loquitur, vt poteſtatem habens ille qui ordines confert; vnde & dicit. Accipe poteſtatem &c. Et ideo illud onus, quod voluit Summus Pontifex huic ordini, ſiue ſacramento alligare potuit, & ſibi licitum, ſed huic authoritati, & poteſta-

teſtati ſuccesſit in latinis voluntas obtemperãdi, quia tale ſtatutum libenter ſuper ſe receperunt, & hæc duo fecerunt ſtatutum illud firmum.

Sed Græci dederunt tergum, & quia non conſenſerunt in tam nobile ſtatutum, vt vaſa ſua ſeruarent munda, ablatum eſt eis regnum ideſt intelligentia ſcripturarum. Et datum eſt genti facienti fructum eius, ſic ergo patet, quod potuit. Nec ſolum licuit, immo etiã decuit, & hoc propter duo, quoniam in actu carnali, qui eſt vſus matrimonij, vt plurimum eſt libido, & in cohabitatione, vt plurimum eſt ſolicitudo. Et libido, ſiue carnalis delectatio reddit fętidũ, & immũdum, & ſolicitudo reddit diuiſum. Et quoniam clericum

in ſacris ordinibus conſtitutum decet eſſe mundum, cum ferat vaſa Domini, iuxta illud Eſai.52. Mundamini qui fertis vaſa Domini, decet etiam eſſe ſolicitum, & attentum, vt ſolicitè, & diligenter ſeruiat Domino, & ſtudeat, quomodo placeat Chriſto; ideo decens fuit, eos ab vxoribus ſeparari, vt per omnia fierent idonei cultores, & miniſtri Altaris. Si enim illi qui cõmunẽ cõmedebant panem propoſitionis, vaſa munda habere debebant, vt habetur
1.Reg. 21. primi Reg.21. quanto magis iſti, qui Agno immaculato aſſiſtunt, & diſpenſant, & ſumunt, omni puritate, & ſanctitate debent fulgere, & vaſa ſua cuſtodire in ſanctificatione, & honore, non ex deſiderij paſsione, vt loquitur Apoſt. 1. ad Theſ. 4. Certè hoc non

non tantum decens, ſed etiã decentiſsimum iudicabit omnis anima, quæ eſt templum Spiritus ſancti, & non tantum decuit, ſed etiam expediens fuit, propter duo. Primo propter euitandum irregularitatis periculum. Secũdo propter vitandum latrocinium. Propter vitandum quidem periculum irregularitatis, quia ſimiliter, eſt ſi vxor alicuius, cognoſcat alium virum, & ille vir coniux eius poſtea cognoſcat eam, iam irregularis eſt. Et idem ſi vxor ſacerdotis Græci fornicetur, iam amplius nec cũ ea, nec cum alia poteſt rem habere, & quia difficile eſt abſtinere, frequenter in irregularitatem inciderent, & cum periculo miniſtrarent, ſi vxores haberent.

1. The. 4.

Secundo verò propter vi-

tādum latrocinium. Si enim Epiſcopi, & Archiepiſcopi nunc filios haberent, omnia bona eccleſiaſtica furarentur, ita quod pauperibus pauca, aut nulla remanerent. Cum enim modo congregent, & ditent nepotes, quaſi gradibus in computabiliter ab eis elongatos, quid facerent ſi haberent filios legitimos, vnuſquiſque attendat quantum eſſet periculum, ideo prouidit Spiritus ſanctus hoc offendiculum auferre, & Dei conſilio hoc ſtatutum fuit in Eccleſia ſancta Dei, vt clerici ad ſacros ordines venientes nullo modo matrimonio poſſent vti.

Cauſæ multæ ſunt, quare oportet miniſtros eccleſiæ eſſe pudicos, & mundos, priã eſt, quia ipſi debent Deum
Eccle. 44. placare, Eccl. 44. tempore

ira-

iracundiæ facta eſt reconciliatio. Placare autem nõ poſſunt, niſi placeant, & placere non poſſunt ſi carnaliter viuant ad Rom. 8. qui in carne ſunt placere nõ poſſunt. Bernardus vt filijs irę, qui nondũ Deo reconciliati reconciliationis alienę negotium, quaſi Gens, quæ iuſtitiam fecerit apprehendit. Rom. 8.

Secũda eſt, quia ipſi ſunt loco Dei, & ideo ipſi viuere debẽt, vt Deus, ſcilicet ſpiritualiter, nõ carnaliter, Deus autẽ Spiritus S. eſt Io: 4. Apoc. 1. Vidit Io: ſimilem filio hominis pręcinctũ ad mammillas Zona aurea 1. cõtinentia. Apoc. 1.

Tertia cauſa eſt, quia ipſi officium habent. Malachiæ. 2. dicitur de ſacerdote Angelus Domini exercituum eſt, dicitur autem de ſacerdotibus Exodo 19. ſacerdo- Exod. 19.

cerdotes,qui accedũt ad dominum ſanctificentur,ne percutiam eos.

Quarta cauſa ,quia eorum officium eſt intendere ſpirituali generationi,quę ſancta, & munda eſt Io. 1. dedit eis poteſtatē filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus &c. & ideo non decet eos eſſe immundos,& execrabiles.

Quinta cauſa eſt, quia ipſi contractant ſancta, vnde decet eos eſſe ſanctos ; & mundos mente,& carne. Leuitici
Leuit. 21. 21. incenſum Domini, & panes Dei ſui nõ hominum , vel animalium offerunt , & ideo ſancti erunt , & in eodem habetur , qui habuerit maculam,non offerat panes Domino Deo ſuo , nec accedat ad miniſterium eius, macula verò turpiſsima , & fędiſsima eſt luxuria,quam poſuit Salo

mon

mon in gloria ſua. Eccleſia. 46. & Leuitici. 22. qui acceſſerint ad ea quæ ſanctificata ſunt, in quo eſt immundicia peribit coram Domino.

Sexta eſt, quia oportet eos mundare alios. Ideò oportet eos eſſe mundos, quia vt dicitur Eccleſiaſtici. 34. Ab immundo quid mundabitur; vnde Machabeorum. 4. dictum eſt Leuitis ſanctificamini, & mundate domum Domini, & Neemiæ. 12. dicitur mundati ſunt ſacerdotes, & Leuitæ, & mundauerunt populum. Eccle. 34.

Septima cauſa eſt, quia ipſi ſunt miniſtri Regis altiſsimi; vnde decet, vt ipſi ſint Dei proprij, & toti. Et ideo nec etiam coniugati eſſe debent, ex quo vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier. 1. ad Corinth. 7. Turrecr. in c. cauſa 31. diſt. 1. Cor. 7.

Ad

Ad hæc faciunt multa iura de hoc loquentia.

Primum Caliſtus Papa II. in c. præsbyteris. 27. diſt.

Pręsbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis, concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus, contracta quoque matrimonia, ab huiuſmodi perſonis diſiungi, & perſonas ad pœnitentiam redigi debere iuxta ſacrorum Canonum diffinitiones iudicamus.

Secundum S. Greg. libr. 1. epiſt. 24. c. nullum. 28. diſt.

Nullum facere ſubdiaconũ præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum caſtè promiſerit; quia nullus ad miniſterium Altaris accedere debet niſi cuius caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.

Ter-

Tertium Innoc. II. in Concilio Rom. c. 5. c. decernimus. 28. diſt.

Decernimus, vt ij qui in ordine ſubdiaconatus, & ſupra vxores duxerint, aut concubinas habuerint officio, atque eccleſiaſtico beneficio careant. Cum .n. ipſi templũ, vaſa Domini, & ſacrariũ Spiritus ſancti debeant eſſe, & dici, indignũ eſt eos cubilibus, & immunditijs deſeruire.

Quartum Gratian. 32. diſt. in princ.

Seruanda eſt ergo continentia ab omnibus in ſacris ordinibus conſtitutis.

Quintum Vrban. II. Dominico Patriarcæ Gradenſi c. erubeſcant. 32. diſt.

Erubeſcant impij, & apertè intelligant, iudicio Spiritus ſancti eos, qui in ſacris ordinibus presbyteratu, dia-

conatu,

tu
&
m
dc
rc
ci
&
ct
ta
tu
m
m
di
na
Luc. vlt. of
di
n
ei
v
q
g
lc
g
ſc

[illegible], ſubdiaconatu ſunt [illegible] mulieres abiece-[illegible] vixerint, exclu-[illegible] ab omni eorundem [illegible] dignitate; De ma-[illegible] quidem loquimur, ſe-[illegible] autem, & cognitor [illegible] & Iudex eſt.

[illegible] Greg. 7. in c. ſi qui [illegible]

Si qui ſunt presbyteri, dia[illegible], vel ſubdiaconi, qui in [illegible] fornicationis iaceāt [illegible] eis, ex parte [illegible], & Sancti [illegible], eccleſię in-[illegible], uſque dum pœni-[illegible].

[illegible] Alex. II. Medio [illegible] c. ſi quis. 81. diſt.

[illegible] ſacerdotum, vel dia[illegible], vel ſubdiaconorũ [illegible] contumaciter deſe [illegible] ſibi potius [illegible] Sicut ſponte obforni-

catio-

cationem dimittit officium, ita ob præuaricationem dimittere cogatur, etiam inuitus beneficium.

Octauum Greg. 7. lib. Reg. c. 12. c. 1. 83. diſt.

Si quis Epiſcopus fornicationem præsbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorum, vel crimen inceſtus in ſua parochia pretio interueniente, vel precibus conſenſerit, vel commiſſum, ſibique compertum auctoritate officij ſui non impugnauerit, ab officio ſuſpendatur.

Iuxta prædicta quæro vtrũ ſacer ordo impediat matrimonium.

RESpond. affirmatiue facit. c. præsbyt. 27. diſt.

Reſpon. cum Turrecr. c. placuit. 32. diſt. Hic erunt duo

duo articuli; in primo repetetur diſtinctio, ordinum ſacrorum; in ſecundo reſpondebitur quæſtioni ſub certis concluſionibus. Circa primum eſt ſciendum quod ordinum quidã ſunt ſacri, quidam verò non ſunt ſacri. Sacri ſunt, quorum actus ordinant ad ſacramentum Altaris in conficiendo ipſum, vel præparando materiam, vt ſubdiaconi, vel offerendo eam ſacerdoti, vt diaconi, vel in conſecrando ipſum, vt ſacerdos. Et dicũtur ſacri, quia ordinati in eis ſunt, quorum actus, habent ſacra tangere, non ſacri autẽ ſunt quorũ actus ordinantur ad diſponendũ populum, vel remouẽdum malum hominẽ, vt oſtiarius, vel malum demonem, vt exorciſta, vel diſponendo ad bonũ, ſiue ſecundũ intellectũ,

vt lector, ſiue ſecundũ affectũ vt Acolyti, & dicuntur nõ ſacri, quia promoti in eis non habent tãgere ſacra. Hoc ſuppoſito pro primo articulo.

Circa ſecundum art. ſit iſta cõcluſio iuxta S. Thom. in 4. diſt. 37. Ordo ſacer ex ſui ratione habet quandã congruẽtiã, ꝙ matrimoniũ impedire debeat, ſiue vt dicit. Durandus, diſpoſitiue habet impedire matrimonium contrahẽdũ, & dirimere cõtractũ. Iſta concluſio probatur ſic iuxta D. Durandũ. Miniſter debet cõgruere miniſterio ad quod ordinatur. At ſi contraherẽt non conuenirent miniſterio: ergo conſtituti in ſacris non debent contrahere. Minor declaratur, quia clerici in ſacris ſunt miniſtri Dei, quo ad confectionẽ, & diſpenſationẽ miniſteriorũ, ſiue rerũ eccleſiaſti- S. Tho

ſiaſti-

ſiaſticarum. Ad miniſterium autem diuinum digne exequendum, duo ſunt neceſſaria; vnum ex parte corporis ſcilicet puritas actionis, vt poſsint diuina munde tractare, & ex parte animæ, libertas contemplationis, vt poſſint ſpiritualibus intendere; vtrunque autem horum impedit matrimonium. Tollit enim puritatem, quia maculat corpus, & contemplationem animæ, quia occupat illam circa negotia ſecularia, propter quod tollit idoneitatem ad diuinum miniſteriū. Similiter ad miniſterium eccleſiaſticum ſunt duo neceſſaria, ſcilicet diligentia in adminiſtrando, & cautela in obſeruando. Matrimonium autem impedit diligentiam, quia occupatus extra propria, minus curat, & minus dili-

diligens eſt circa communia. Impedit etiam cautelã, quia in priuatos vſus vxoris, & filiorum frequenter bona pauperum expenderet. Et ideo congruit, quod promoti in ſacris non poſsint matrimonium contrahere, & ſic patet, quod ſacer ordo ex ſui ratione habet congruentiam impediendi matrimonium, & ita impediat contrahendum, & dirimat contractum.

Secunda cõcluſio eſt, quod ſacer ordo ex ſtatuto eccleſiæ habet completiue, quod actu impediat matrimoniũ. Iſta cõcluſio patet quoniam præfatam congruentiam cognoſcens eſt eccleſia Spiritu ſancto docta, fecit clericos in ſacris conſtitutos perſonas illegitimas ad matrimonia contrahenda, & ſi de facto cõ-

trahunt,

trahunt, dirimi debent, tanquam nulla, vt habetur extra qui cleri. vel vouen. c. ex literarum, & eadem ratione debet eis indici continentia, quando ordinantur, ſiue conſentiant, ſiue non, dum ordinem ſacrũ ſuſcipiunt, ex tunc ſunt inepti, & illegitimi ad contrahendum ex ſtatuto eccleſiæ. Concordat Albertus Magnus his duabus concluſionibus in 4. diſt. 37. Vbi quærens, vtrum ſacer ordo impediat matrimoniũ vbiq; & ſemper, vel localiter, & tẽporaliter. Reſpondet, quod quantum eſt ex parte continentiæ, eſt impedimentum, vbiq; & ſemper, ſed quia congruitas iſta nõ dicit, niſi aptitudinem, & non neceſsitatẽ, ſed potius cauſatur neceſsitas ab eccleſiæ ſtatuto, ideo quantum ad neceſsitatem ſe-

Alber.

paran-

parandi matrimonium eſt illud locale, & temporale, hæc Albertus.

Item quæro vtrum clericus coniugatus poſsit habere beneficium eccleſiaſticum.

RESpond. per quinque cõcluſiones.

Prima clericus coniugatus in minoribus conſtitutus, quantumcunque clericaliter viuat, non poteſt obtinere dignitates, perſonatum, ſeu beneficium cum cura, vel alia beneficia maiora. Iſta concluſio habetur expreſſe extra de cler. coniu. in c. cum decorem, vbi ita ſic dicitur, eos qui publicè ſunt vxorati non admittas de cætero ad eccleſiaſticas dignitates. Honeſtas, ſiue rationabilitas hu

ius concluſionis oſtenditur in eodem .c. cūdicitur, quas non poſſunt ſine prauo exemplo,& graui ſcandalo retinere.

Secunda concluſio, clericus publicè coniugatus volens clericaliter viuere, puta tonſuram, & habitum clericalem portando, & à negocijs ſecularibus abſtinendo, non poteſt obtinēre beneficium, etiam ſimplex eccleſiaſticum. Iſta concluſio habetur in.c. diuerſis extra de cleric.coniu. & rationem hu-
Inn. 3. ius aſsignans Innoc. III. dicit, quia cythara cum pſalterio malè concordat, ideſt vita mundana, & laycalis, cum vita clericali,& ſpirituali.

Tertia concluſio, clericus coniugatus quantumcunque clericaliter viuat, in eccleſia occidentali cōtinere nolens,

non

non poteſt ſine diſpenſatione obtinere beneficium, etiã ſimplex eccleſiaſticum, iſta concl. habetur in c. ſane eod. tit. vbi Alex. III. ita ſcribit Affrodienſi Epiſcopo, prouideas attentius, ne de inceps clericus coniugatus ad eccleſiaſtica beneficia, vel ad ſacros ordines admittatur, niſi voueret perpetuam caſtitatem. Item gloſſ. in c. cum decorem ſuper verſ. dimiſsis ait, quia coniugati ſimplicia eccleſiaſtica beneficia poſsidere non poſſunt. Alex. 3

Quarta concluſio, coniugatus clericaliter viuens, & eccleſiæ ſeruiens poteſt ab eccleſia ſuſcipere ſtipẽdium ſubſtentationis; iſta concluſio patet ex .c. ſi qui. 32. diſt. & ex c. quia tua. 12, q. 1.

Quinta concluſio, clericus coniugatus clericaliter vi-

uens , ſpem habens redeundi ad clericatum , poteſt ex diſpēſatione obtinere ſimplex beneficium eccleſiaſticum . Iſta concluſio patet ex. cap. Ioannes extra de cler. coniug. vt dicit Hoſt. in ſumma titulo eodem . Turrecr. c. ſi quis .32. diſt.

Item quæro vtrum cum clericis in ſacris conſtitutis, licitum ſit cohabitare mulieres.

Reſpond. cum Turrecr. in c. inter dixit. 32. diſtin. pag. 307. hic facienda ſunt duo. In primis aſsignabuntur aliquę rationes, propter quas rationabiliter inhibetur clericis cohabitare mulieribus. Secundo reſpondendo quæſtioni, dicetur ſub certis concluſionibus , quæ mulieres

lieres poſſunt licite cohabitare cum clericis, & quæ nõ.

Circa primum occurrunt nobis octo rationes huius prohibitionis. Prima propter cuſtodiam caſtitatis, ad quam tenentur ipſi clerici, de quibus loquimur, quam difficile erit ſeruare cohabitãdo mulieribus, immo quaſi impoſsibile quemadmodum ſtupam, ceram, aut ſtipulam poſſe ſaluare iuxta ignem. Hinc prouerb. 6. Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper prunas, & nõ cõburantur plantę eius, ſic qui ingreditur ad mulierem non erit immunis cum tetigerit eam. Ideo Auguſt. in libr. de ſingularitate clericorũ. Nos fallimur quoties inordinabiliter credimus, vt inter fęmi- Aug.

nas ſperemus paſsim caſtitatem immobilem cuſtodire.
Greg. Et Greg. in dialogo inquit, qui corpus ſuum continentię dedicat, habitare cum mulieribus non pręſumat, ne ruina ruenti tanto repentina ſurrepat, quanto male concupiſcentię ex præſentia cõcupitæ formæ famulatut.

Secunda ratio eſt; exempla multorum etiam magnorum virorum, qui occaſione mulieris ceciderunt, præſumptuoſum, quidem eſt ſe illis fortiorem æſtimare: vnde Auguſt. libr. 5. homiliarum homil. 21. Inquit tu fortior es Dauid, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Si enim illos tam ſanctos viros, incauta familiaritas mulierum, & pernicioſa blandimenta vicerunt, quid de ſe cogitant illi, qui cum extraneis mulieri-

bus non ſolum conuerſari, ſed etiam in vna domo manere conuiuio earum, aut frequenter, aut ſemper intereſſe, nec metunt, nec erubeſcunt.

Tertia ratio prædictæ inhibitionis eſt, propter perfectionem virtutis, ad quam cum difficultate, aut nunquã aſcendere quis poteſt, qui fęminarum conſortio delectatur, hinc Hieronym. & habetur in c. hoſpitiolum. 32. diſt. Hier. Crede mihi non poteſt cum Deo toto corde habitare, vel ei ſeruire, qui mulierum acceſsibus copulatur. Et Aug. in ſoliloquijs. Nihil inuenio, quod adeo animum ab arce virtutum deijciat, quam blãdimenta fœminarum, & rationem huius aſsignans Beatus Hieronymus ad Oceanũ in epiſt. de vita clericorum

loquens ait. Fœminarum cum clericis nullo pacto con iuncta præcipitur conuerſatio, ianua diaboli, & via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, nociuumque genus eſt fœmina, cum proximat, ſtipula incendit ignẽ flamigero igne percutit fęmina conſcientia cohabitantis, exuritque fundamenta montium: ego iudico, ſi cum viris fœminæ habitant, non deerit viſcarium diaboli.

Quarta ratio inhibitionis prædictæ eſt, quia ita conuenit ſtatui ordini clericorum in ſacris conſtitutorum, vt continentiæ votum ſit annexum, vt patet per multa c. in 32. diſt. & per conſequẽs fuge cohabitationes cum mulieribus: hãc rationem tãgit. Beat. Auguſt. lib. de ſingularitate clericorum, ita di

cens.

cens. Vt quid ſibi adhibuit mulierem? qui ducere contempſit vxorem: omnis qui non manducat carnes, vt qui habitationem ſuam carnis apparatibus replet, & qui nõ biberit vinum, vt qui vini oblectatione perfruitur. Ita hic qui deſpexit vinculum nuptiarum, & aliter fœmineis laqueis, ſeu vinculis alligatur, quamuis nullo concubitu miſceatur, deſiderio tamen, viſu colloquio coniunctione ſemper oblectantur. Nam ſi deſiderium fœminæ nunquam haberet, nunquam fœmina ſuis oblectationibus, & oblectamentis aſſumeret; Hæc Auguſt.

Quinta ratio inhibitionis prædictæ eſt propter excellẽtiam miniſterij ſacerdotalis, ad quod pertinet maxima pollere munditia, iuxta illud

Iſa. 52. Iſa. Mundamini qui fertis va
Aug. ſa Domini, & Auguſt.lib. ſu-
pradicto: Aut auertite occa
ſiones quibus interiora pe-
ctoris penetrantur, vt liqui-
da in vobis perſpicuitas ho-
noretur, contenti eſtote ſin-
gularitatem laborioſam pro
pudore ſeruando, potius ſu-
ſtinere, quam ſine labore ad
dedecus peruenire. Contem
plamini, quid populo ſancto,
& conſiderate quale ſit diui-
nis ſacramentis inſiſtere Al-
tari placere debent, qui cum
Altari viuunt, & talis conue-
nit cura ſynceritatis ſacra-
mentorum, qualia ſunt ſacra
menta ipſa, quibus exhibent
beneficia ſeruitutis, nec con
tra Dominum offendant, quę
tractant, cõtra populum in-
cipiant impedire, quod præ-
dicant.

Sexta ratio inhibitionis
eſt

eſt propter teſtimonium bonę famæ habendum, quod maxime neceſſarium eſt clericis, quibus vt inquit Hugo de S. Victore non ſufficit vita ſancta, niſi ſit bona fama, quam bonam famam maxime denigrat cohabitatio, & familiaritas cũ mulieribus, vnde Auguſt. lib. ſupradicto, ſed conſentio non eſt caſtitatis huiuſmodi, ſcilicet qui cohabitant mulieribus pudicitiam violatam, ſuſpicionis tamen malam porrigit famam, & pudicitiæ bonum fruſtra, intentione laborioſo agone cuſtodit, qui forinſecus efficit inflammari, peius eſt quã mechia continentiam docere criminoſam, & infamiam facere ſanctimoniam, & blaſfemiam ingerit religioni, quam prætulit, qui quod confitetur, non ante omnes im-

pleuit, ne chriſtianitatẽ credatur eſſe falſam, & mechato videtur ſanctitas velamento
Hier. veſtita. Hinc declarat Beatus Hieronym. fuge perſonã in qua poteſt malæ conuerſationis eſſe ſuſpicio, ne dicas ſufficit mihi conſcientia, nõ curo quid de me loquantur homines. Et certè hoc Apoſtolus præuidebat benè, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, ne per illum nomen Domini blaſphemaretur in gentibus.

Septima ratio prohibitionis eſt, ne ſit infirmis occaſio mali, ſiue ruinæ. Nam vt dicit Auguſt. vbi ſupra, quale præmium fœlicitatis expectat, qui non ſolum blaſphemiam ſanctitatis ab infidelibus prouocat, ſed fidelibus pernicioſum præbet exemplum, vt infirmi ſub prę-

textu dilectionis ſubtiliter fornicentur, & pudicus impudiciſsimæ caſtitatis præbeat magiſterium, deſtruens, quod Paulus comminatur dicens. Perit inquit frater infirmus in tua cõſcientia, propter quod Chriſtus paſſus eſt: Et iterum idem Auguſt. Si alicui tanta fiducia eſt de immutabilitate propriæ infirmitatis, ſaltem ſolicitus reformidet, ne ipſe ſit ſcandalũ vſibus alienis, ſed terreatur voto Domini comminantis. Væmundo à ſcandalis, verum tamen, vę homini illi per quẽ ſcandalum venit. Paul.

Octaua ratio eſt exempla Sanctorum Patrum, qui miro modo leguntur euitaſſe conſortia mulierum, de quibus tam Greg. in dialogo, quàm in vitis patrum, multa exempla digna memoriæ narran- Greg.

rantur. Vnde de Auguſt. dicitur, quod nec cum ſorore habitare conſenſit dicens. Quæ cum ſorore mea ſunt ſorores meæ non ſunt. Tanti igitur viri cautela magna debet eſſe inſtructio. Nam incautæ præſumptionis eſt, v fortius pauet, minus validũ non timere.

Circa ſecundum, ſit iſta cõcluſio. Conſanguineæ in linea aſcendentium, vel diſcendentium, vſque ad quartum gradum, poſſunt licitè cohabitare clericis de conſang. & affin. c. non debet in diſt. 81. cum omnibus, c. & c. volumus. Patet etiam ratione, quia naturale fœdus nihil criminis permittit in talibus ſuſpicari, vt extra de coha. cle. c. à nobis, & extra de præſumptio. cũ in iuuentute.

Secunda concluſio; conſan-

ſanguinæ in linea tranſuerſali, vſque ad ſecundum gradũ incluſiue poſſunt licitè cohabitare cum clericis, niſi ſecũ habeant perſonas pediſſequas, aut alias mulieres ſuſpectas, pro hac concluſione eſt c. legitur diſt. 81. vbi legitur, quod Beatus Auguſt. nec cum ſorore habitare conſenſit, vbi dicitur. Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt, pro iſta etiam concluſione loquitur idem Beatus Auguſt. lib. de ſingularitate clericorum ſic. Si quis autem habet matrem, & filiã, vel ſororem, vel coniugem, vel cognatam, ſic habeant vt nulla mala interſit, nec aliqua ingrediatur extranea, nec ad hoc videatur proximas tenere, vt ipſarum cauſa liberè ſibi adhibeat alienas, quod ſi non poteſt, ipſæ, quæ

ſunt

ſunt proximæ ſine famulorũ miniſterio, vel ſine amicarum intereſſe expedit,vt migres ad aliud domicilium, quam propter illas perſonæ ignaræ teneantur,humanum eſt enim,vt nec clericus illas neceſſarijs fœminis fraudet, nec ipſæ clericum per importunas fœminas ſordident.

Tertia concluſio; licet licitum ſit,aliquas conſanguineas cum clericis habitare, vt dictum eſt, non tamen eſt licitum maximè Epiſcopis cum talibus immoderatam familiaritatem habere,ne vilis, & contemptibilis habeatur: iſta concluſio habetur diſt. 34. in c.quorundam.vbi habetur, quod ſi admonitus nollet deſiſtere deponatur.

Quarta concluſio, licet licitum ſit aliquas conſanguineas,ſiue affines clericis cohabi-

habitare,vt dictum eſt,vbi tamen eſt ſuſpicio iuuentutis, ſeu caloris,naturalis,non eſt licitum habitare ſimul, vt.n. dicit Henric. ſuper c. 1. de coh. cleric. & mul. Hoc tutius eſt animæ, quia vt dicit Abac. primo. Facies earum ventus vrens, & eſt conſonantius honeſtati : ideo ſequendum maxime,quando timeretur ex hoc ſcandalum generari. Et quia talis conuerſatio eſt periculoſa,ſecundum illud Eccleſiaſt. 23. Qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea; vnde verſus. Ni fugias tactus, vix euitabitur actus. Hos ergo deuitare memoriaris ita. Vnde Apoſt. ad Romanos.7.ſtipendia peccati, mors; vnde Ioan. And. & Hoſt. notant de eo,qui cõſanguineam cognouit vxoris ſuæ.c.veniens,quod opor Henr.

tunitas

tunitas facit latronem. Quinta concluſio; ſicut licitum eſt clericis cohabitare mulieres conſanguineas, ita etiam eas, quæ ſunt de familia, domeſtica neceſsitate, vt ſunt ancillæ, & pediſſeque quæ tamen non ſunt ſuſpectę iſta concluſio habetur in c. cum omnibus diſt. 81.

Sexta concluſio; licet licitum ſit cohabitare clericis alias mulieres, quam conſan guineas, ſeu affines, vt patet ex concluſione præcedenti, nulla tamen extranea quantumcũque deſpecta, aut etiã vetula eſt accipienda à clericis ſpecialiter ad domeſticum obſequium: iſta concluAug. ſio eſt Beat. Auguſt. in lib. vbi ſupr. Vbi ſic ait. Cum clerico fœmina nulla permaneat, non deſpecta, nõ vetula, ſine affinitate peculiariter ſuſcipien-

pienda eſt ad domeſticum obſequium; & aſsignans rationem, ita ſubiungit, quia magis cito delinquitur, vbi ſine ſuſpicione ſecurum poteſt eſſe delictum.

Septima concluſio; licitũ eſt clerico in ſacris conſtituto tenere in domo ſua vxorẽ, quã prius habuit legitimam ante ſacri ordinis ſuſceptionem, ſi ſit vetula, de qua ſuſpicio nulla oriri poſsit. Hæc concluſio habetur in c. voluntas diſt. 81.

Octaua concluſio; Moniales nullo modo permittuntur clericis, aut monachis cohabitare, patet concluſio diſtinct. 23. c. ſanctimonialis, & c. ſacratas, & de conſ. diſt. 1. c. in ſancta.

Nona concluſio; Epiſcopi, & religioſi nullam debent ad cohabitandum mulierem admitte-

mittere. Iſta concluſio habetur in auth. de S. Epiſcop. §. Epiſcopum verò. col. 9. & in aut. de Monachis. §. cogitandum. col. 1. notat hæc Hoſt. in ſumma de cohabit. cler. & mul. & de iſtis eſt text. in l. eum qui probabilem, & in auth. Epiſcopus. C. de Epiſc. & Cler. & hoc ratione fulciri poteſt, propter excellentiam ſtatus perfectionis, ex quo tã prælati, quàm religioſi ſunt, licet differenter.

Hoſt.

Concordant cum his, quæ ſupra dicta ſunt. c. 1. & ſeq. de cohab. cler. & mulier. c. volumus, & ſeq. 81. diſtinct. cap. quam turpè. 25. ſeſſ. Concil. Trid.

Conc. Trid.

Cap. VIII.

S. Ant. §. 3.

Doctorem quoque Epiſcopum oportet eſſe, ne inferio-

feriorum culpę in eum refun dantur, qui docendi officium accępit, quod exequi neſcit, vel nęgligit, Gratian. 86. diſt. in princ.

Debet etiam gratiam docēdi habere, quia vt Hier. ait ad Oceanum epiſt. 83. Innocens, & abſque ſermone conuerſatio, quantum exemplo prodeſt, tantum ſilentio nocet. Nam latratu canum, & baculo paſtorum lupi ſunt arcendi: in ipſa autem doctrina diſcretum oportet eſſe rectorem, ne aut tacenda proferat, aut proferenda taceat, vt inquit Gregor. in 2. Paſtoral. c. 4. Nam ſicut incauta locutio in errorē pertrahit, ita indiſcretum ſilētium eos qui erudiri poterant, in errorem derelinquit, Gratian. diſtinct. 43. in princ.

Hyer.

Greg.

Iuxta

Iuxta prædicta quæro, vtrũ oporteat Epiſcopum eſſe doctorem, ideſt potentem docere ſibi populum commiſſum.

REſpond. cum Turrecr. 43. diſt. in princ. ſub iſta concluſione, in Epiſcopum promouendus neceſſario debet eſſe doctor, ideſt potens docere. Circa quam concluſionem, duo faciemus. Primo probabimus illam. Secundo oſtendemus, qualis eſſe debeat doctrina, & prædicatio doctoris eccleſiæ. Circa primum concluſio eſt. Apoſt. 1. ad Ti. 3. dicentis oportet eũ ſcilicet Epiſcopum amplectentem eſſe eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelis, ideſt veracem ſermonem, vt potens ſit in doctrina ſana,

Apoſt.

ideſt

ideſt vera exhortari, conſentientes doctrinæ, & eos qui contradicunt, ſcilicet, doctrinæ ſanæ (arguere) ideſt arguendo, ſiue argumentando conuinceres hic .n. ſunt duo opera ſapientis ſecundũ Philoſophum, ſcilicet non mentiri, de quibus nouit, & mentientem manifeſtare poſſe. Hæc autem concluſio probatur ratione iuxta Dominum Vlrichum in ſumma ſua ex ſeptem nominibus, quibus in ſacro eloquio nominatur Sacerdos, vt colligitur etiam expreſſe ex c. 1. diſt. 43. dicitur etiam paſtor, & canis propheta, & Angelus, & veritas ſacerdotij veteris teſtamenti, & habens locum Apoſtolorum, & præco. Si paſtor eſt, non eſt mercenarius, qui venientem lupum videns aufugit. Io. 4. dum ſe ſub ſilen- Ioan. 4.

tio

tio abſcondit, vt dicit Greg. in paſtor. 15. c. ſi canis eſt, latratu prędicationis debet lupos arcere à gregibus, ne cadat ſuper illos, illud opprobrium. Eſa. 56. Canes muti,
Iſa. 56. non valentes latrare. Si Profeta eſt, miniſteria ſcripturæ populis exponere debet, hoc enim eſt prophetare. 1. ad Cor. 14. nam qui prophetat. gloſſ. 1. qui exponit ſcripturas, quæ multis occultæ ſunt hominibus, loquitur ad ædificationem; vnde dicit Greg. in ſupradicto c. Et habetur in d. c. Prophetæ in ſacro eloquio nonnunquam doctores vocantur. Cęterum ſi ſacerdos Angelus eſt, debet nuntiare populo eloquia Dei; vnde Malachiæ. 2. labia ſacerdotis
Malac. cuſtodiunt ſcientiam, & legē requirunt de ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.

eſt. Cęterum ſi veritatem habet figurati ſacerdotij veteris teſtamenti, debet habere tintinabula in veſtibus. Exo. 28. & Greg. vbi ſupra, vt vitæ viam cum linguę ſonitum; ipſa quoque ſacerdotis opera clament, veſtimenta enim ſacerdotis ſunt opera recta ſecundum illud pſalm. ſacerdotes tui induantur iuſtitiã, vt audiatur ſonitus, & nõ moriatur. Greg. quia iram contra ſe occulti iudicij erigit, ſi ſine prędicationis ſonitu incedit. Prętereа, ſi loca Apoſtolorum obtinent, debent Spiritum ſanctum accepiſſe in igne, & linguis Greg. quia nimirum, quos Spiritus ſanctus repleuerit, de ſe protinus loquẽtes facit Actum. 2. Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cęperunt loqui. Amplius ſi ſacerdos præco eſt, in Exod. 28.

H ceſſan-

ceſſanter clamare debet Eſa.
Iſa. 58. 58. Clama ne ceſſes, Greg.
vbi ſupra. Præconis officium
ſuſcipit quiſquis ad ſacerdo-
tium accedit, vt ante aduen-
tum Iudicis clamando gra-
diatur; ſacerdos ergo ſi præ-
dicatione ſit mutus, qua cla-
moris vocem daturus eſt, prę
co mutus eſt. Et hoc de pri-
mo. Circa ſecundum notan-
dum, quod ſciẽtia prælati de-
bet conſiſtere in duobus, vi-
delicet, in diſciplina corre-
ctionis, & in ſermone prædi-
cationis, vt de hoc notatur
85. diſt. in ſumma. Circa quæ
tria ſunt conſideranda: Pri-
mum intus charitas ardens.
Secundum exterius vita lu-
cens. Tertium ipſe actus prę
dicationis, de primo Apoſto
1. col. lus. 1. ad Col. 13. ſi linguis
13. hominum loquor, & angelo-
rum. Hic prælatus à Hieron.
com-

comparatur cineri, per quē lixiuium doctrinæ tranſiens lauat,& non lauatur.83. diſt. §.vlt.& ab Auguſt. Canali lapideo, per quem aqua doctrinæ tranſit ad arriolos, ideſt corda ſubditorum in quibus aliquando facit fructum.1. q. 1. c. ſi fuerit, & à Nicolao Papa. Faci videnti, quæ ſe ipſam conſumens alijs lucem miniſtrat, 15.q.8.cap. vlt. de iſtorum culpa, & pœna habetur in Canonica 2.Petri. 2. Hi ſunt fontes ſine aqua.

Circa actum prædicationis, quatuor ſunt attendenda, ſcilicet locus, tēpus, qualitas audientium, modus, & qualitas dicendorum. Tempus, vt non ſemper loquatur, ſed temporibus oportunis. Si enim ſemper plueret, terra nunquam germinaret; vn-

de contra tales in Leuit. 15.
c. vir qui fluxum ſeminis patitur, immundus erit, ad hoc
diſt. 43. c. 1. in fine, locus etiã
eſt attendendus, quia prædicatio debet fieri in eccleſia,
vel in alio loco publico, & honeſto, non autem in priuatis
domibus, ne ex hoc naſcatur
ſuſpicio hæreſis. 32. diſtinct. ſi
quis præcipitur Moyſi. Exo.
27. vt ſacerdos ingrediens
tabernaculũ tintinabulis induatur, vt d. c. 1. verſ. hinc
Moyſi, ac ſi dicat. Cum ingreditur tabernaculum, poterit
prædicare. Itẽ Salomon prouerbiorum. 5. in plateis tuis
aquas diuide. Et in Euang.
Mat. 10. Matt. 10. Quod in aure audi tis, prædicate ſuper tecta, nõ
tamen negandum eſt, quin aliqua verba bona poſsint ab
aliquo dici in alijs locis, in
modum ſimplicis exhortatio

nis,

nis,licet non in modum prædicationis , extra de hęreti. Cum ex iniuncto circa prin. Qualitas audientium ; modus , & qualitas dicendorum conſideranda ſunt. Sapientibus enim , & dignis poteſt prædicator alta, & profunda predicare,ſimplicibus vero , & non capacibus pauca ſana , & vtilia : De primo Apoſtol. 1. ad Cor. 2. ſapientiam loquimur inter perfectos de 2. idem Apoſt. 1. ad Cor. 3. Tanquàm paruulis lac vobis potum dedi , quod ſcribe. Ad idem. d. c. 1. ver. prouidendum. 49. diſt. c. vlt. c. in præſentis 8. q. 1. c. oportet. Hoc etiam docuit Dominus Mat. 5. cum in plano turbis , & in monte loquebatur diſcipulis ; Grammaticam autẽ, aut Iouis fabulas prædicare non debet. 86. diſt. c. cum multa.

Item Hæreticis ſecreta fidei non ſunt exponenda, niſi forte apparerent expreſſe, quod vellent corrigi, & tunc cum magna cautela. c. in mandatis .43. diſt.

Quod autem oporteat Epiſcopum eſſe doctorem habetur. c. 2. ſeſſ. 22. Conc. Trid.

Item quæro vtrum taciturnitas prædicationis in prælatis ſit peccatum.

RESpond. quod ſic. cap. 1. 43. diſt. vbi Greg. in 2. Paſtoral. c. 4. ait.

Sit rector diſcretus in ſilentio, vtilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticeſcat. Nam ſicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit.

Sępe namque rectores impro uidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimeſcunt, & iuxta veritatis vocem nequaquã iam gregis cuſtodiæ, paſtorum ſtudio, ſed mercenariorum vice deſeruiunt: quia veniente lupo fugiunt, dum ſe ſub ſilentio abſcondunt.

Hinc namque eos per Prophetam Dominus increpat dicens. Canes muti non valentes latrare. Eſa. 56

Hinc rurſus quæritur dicens. Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio in die Domini, ex aduerſo quippe aſcendere, eſt pro defenſione gregis, voce libera huiuſmodi poteſtatibus contraire. Et in die Domini in prælio ſtare, eſt prauis decertantibus ex Ezech. 13.

Iuſtitiæ amore reſiſtere. Paſtorem enim recta timuiſſe dicere quid eſt aliud, quam tacendo, terga præbuiſſe, qui nimirum ſi pro grege ſi obijcit, murum pro domo Iſrael hoſtibus opponit.

Hinc rurſus delinquenti populo dicitur. Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam

Thre.2; prouocarent. Prophetæ quippe in ſacro eloquio nonnunquam doctores vocantur, qui dum fugitiua eſſe præſentiæ indicant, quæ ſunt ventura manifeſtãt, quos diuinus ſermo falſa videre redarguit; quia dum culpas corripere metuunt in caſſum delinquẽtibus promiſſa ſecuritate blãdiuntur; qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt; quia ab increpationis

voce conticeſcunt : clauis quippe apertionis eſt ſermo correctionis, quia increpatio culpam detegit, quam ſępe neſcit, ipſe etiam qui perpetrauit.

Hinc Paulus ait. Vt potẽs ſit in doctrina ſana exhortari, & eos, qui contradicunt, redarguere. ad Tit. 1.

Hinc per Malachiam dicitur. Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam : & legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituũ eſt. Malac. 2.

Hinc per Eſaiam Dominus admonet dicens. Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam : Præconis quippe officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotium accedit, vt ante aduentum iudicis, qui terribiliter ſequitur, ipſe ſcilicet clamando gradiatur; ſacerdos ergo, ſi prædicatio- Eſa. 58

nis eſt neſcius, quam clamoris vocem daturus eſt præco mutus?

Hinc eſt enim, quod ſuper
Act.2. paſtores primos in linguarũ ſpecie Spiritus ſanctus incedit; quia nimirum, quos repleuerit, de ſe protinus loquentes facit.

Hinc Moyſi præcipitur, vt tabernaculum ſacerdos ingrediẽs tintinnabulis ambiatur, vt videlicet prædicationis voces habeat, ne ſuperni
Exod. 28. inſpectoris iudicium ex ſilentio offendat, ſcriptum quippe eſt, vt audiatur ſonitus quando ingreditur, vel egreditur ſanctuarium in coſpectu Domini, & nõ moriatur. Sacerdos namque ingrediẽs, vel egrediens moritur, ſi de eo ſonitus non auditur, quia iram contra ſe occulti Iudicis exigit, ſi ſine prædicationis

nis ſonitu incedit; Apte au-
tem tintinnabula veſtimen-
tis illius deſcribuntur inſer-
ta. Veſtimenta enim ſacer-
dotis quid aliud, quam re-
cta opera debemus accipe-
re? Propheta teſtante, qui ait Pſalm
(ſacerdotes tui induantur iu 131.
ſtitia.) Veſtimentis itaque
illius tintinnabula inhærent;
vt vitæ viam cum linguæ ſo-
nitu, ipſa quoque bona ope-
ra ſacerdotis clament. Sed
cum rector ſe ad loquendum
præparat, ſub quanto caute-
læ ſtudio loquatur, attendat;
ne ſi inordinatè ad loquen-
dum rapitur, erroris vulnere
corda audientium feriantur:
& cum fortaſſe ſapiens vide-
ri deſiderat, vnitatis compa-
gem inſipienter abſcindat.
Hinc namque veritas di-
cit. Habete ſal in vobis, & pa Marc. 9
cem habete inter vos: Per ſal

quippe, verbi ſapientia deſignatur. Qui ergo loqui ſapienter nititur, magnopere metuat, ne eius eloquio audientium vnitas confundatur.

Rom. 12. Hinc Paulus ait: Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatē.

Hinc in ſacerdotis veſte iuxta diuinam vocem tintinnabulis mala punica coniunguntur. Quid enim per mala punica, niſi fidei vnitas diſignatur? Nam ſicut in malo

Exod. 28. punico, vno exterius cortice, multa interius grana muniuntur, ſic innumeros ſanctæ eccleſiæ populos vnitas fidei contegit, quos intus diuerſitas meritorum tenet.

Ne igitur rector in cautus ad loquendum proruat; hoc quod iam pręmiſimus per ſemetipſam veritas diſcipulis

cla-

clamat. Habete ſal in vobis, Mar. 9.
& pacem habete inter vos:
ac ſi figuratè per habitum ſacerdotis
dicat; mala punica tintinnabulis iungite, vt per omne, quod dicitis vnitatem fidei, cauta obſeruatione teneatis.

Prouidendum quoque eſt ſolicita intentione rectoribus, vt ab eis non ſolum praua nullo modo, ſed ne recta quidem nimiè, & in ordinatè proferantur: quia ſæpe di- Act. 17.
ctorum virtus perditur, cum apud corda audientium, loquacitatis in cauta importunitate leuigatur, & auctorē ſuum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ ſeruire auditoribus ad vſum profectus ignorat.

Vnde benè per Moyſem dicitur. Vir qui fluxum ſeminis patitur, immundus eſt: In men-

mente quippe audientium, ſemen ſecuturæ cogitationis eſt qualitas auditę locutionis; quia dum per aurem ſermo concipitur, cogitatio in mente generatur.

Vnde & ab huius mundi ſapientibus prædicator egregius ſemini verbius eſt vocatus. Qui ergo fluxum ſeminis patitur, immundus aſſeritur, quia multiloquio ſubditus, ex eo ſe inquinat, quod ſi ordinate promeret, prolem recte cogitationis edere in audientium corda potuiſſet: dumque in cautus per loquacitatem defluit, non ad vſum generis, ſed ad immundiciã ſemen effundit.

2. Tim. 4. Vnde Paulus quoque, cum diſcipulum de inſtantia prædicationis admoneret, dixit. Teſtificor corã Deo, & Chriſto Ieſu, qui iudicaturus eſt,

vivos,

viuos, & mortuos, per aduentum ipſius, & regnum eius prædica verbum, inſta oportune, importune: dicturus (importune) præmiſit (oportune;) quia ſcilicet apud auditoris mentem ipſa ſua vtilitate ſe deſtruit, ſi habere importunitas oportunitatẽ neſcit.

Notandum eſt cum Turre cr. c. ſit rector. 43. diſt. ſub aliquibus concluſionibus in hoc caſu.

Prima eſt, tacere aliquando eſt peccatum. Iſta concluſio patet primo per illud Pſalmiſtæ. Quoniam tacui inueterauerunt oſſa mea, inueteratio autem oſsium defectus eſt fortitudinis ſpiritualis, quæ non eſt niſi per peccatũ; ergo tacere aliquãdo eſt peccatum Eccl. 3. dicitur. Tempus tacendi, tempus loquendi.

di. Si ergo tacet homo, quando debet loqui, peccatum eſt Vnde dicit Greg. immoderatum ſilentium, ſi culpa non eſſet, propheta non dixiſſet. Væ mihi, quia tacui.

Secunda concluſio tacitur nitas prædicationis, ſiue doctrinæ in prælato, ſiue in eo qui habet curam animarum in tempore debito, quo prædicare tenetur, eſt peccatum mortale. Iſta concluſto patet per multas authoritates in præſenti c. poſitas. Item per
Ezech. 33. illud Ezech. 33. ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non ſoluerit buccina, & populus non ſe cuſtodierit, veneritque gladius, tuleritque eis animam, ille in iniquitate ſua mortuus eſt. Sanguinem autem de manu ſpeculatoris requiram. Secundo probatur prædi-

ꝺta concluſio ſic. Qui tenetur mederi ęgroto, & ſubtrahit vſum medicaminis pro tẽpore, & loco peccat mortaliter. Sed prælatus tenetur mederi ſubditis, cum infirmantur ex pręcepto: ergo cum tacẽdo, ſubtrahit vſum medicaminis, peccat mortaliter; vnde Greg. Plerunque nimis taciti, dum quorũdam mala reſpiciunt, & cũ ſilentio linguã præmunt, quaſi cõſpeꝺtis vulneribus vſum medicaminis ſubtrahũt, & eo mortis autores fiũt quo virus quod poterãt eijcere loquẽdo noluerũt; ergo taciturnitas in talibus eſt peccatũ mortale, qui.n. auꝺtor eſt mortis ſpiritualis in alio, in ſe ipſo cõtrahit mortẽ Turrecr. c. ſit Reꝺtor. 43. diſt.

De hijs autem ſunt multæ auꝺtoritates.

Prima Gregor. Venantio

lib.

lib. 1. epiſt. 33. cap. Epheſijs 43. diſt.

Epheſijs Paulus dicit. Mundæ ſunt manus meæ à ſanguine omnium veſtrum: non.n. ſubterfugi Quo minus annunciarem omne conſilium Dei vobis. Mundus ergo à ſanguine eorum non eſſet, ſi eis Dei conſilium annuntiare noluiſſet, quia cum increpare delinquentes noluerit, eos proculdubio tacendo paſtor occidit.

Secunda Nicolai Michaeli Imperatori, in epiſt. propoſuimus. c. diſpẽſatio. 43. diſt.

Diſpenſatio eſt nobis cœleſtis ſeminis iniuncta, væ ſi non ſperſerimus, væ ſi tacuerimus. Quod cum electionis vas formidet, & clamet, quãto magis cuilibet exiguo metuendum eſt. Proinde ſicut non leue diſcrimen incumbit

Pon-

Pontificibus ſyluiſſe pro diuinitatis cultu, & eccleſiæ correctione, quod congruit, ita his quod abſit non mediocre periculum eſt, qui cum debeant parere deſpiciunt.

Tertia Grat. in §. pariter 43. diſt.

Pariter quoque obſeruare debet ſacerdos, ne indignis, & non intelligentibus ſecreta miſteria, ſua prædicatione reſerare incipiat. Qui.n. ea docet, quæ ab auditoribus non valent intelligi, non ad eorum vtilitatem, ſed ad ſui oſtentationem facit. Vnde in expoſitione Beati immaculati dicitur. Vitium eſt ſecreta miſteria vulgare in dignis, quod fit, vel loquacitate in cauta, dum ſine iudicio volat in reuocabile verbum, vel adulatione, vt ei placeat, cui ſecreta reuelat, vel

iacta-

iactatione ſcientiæ, vt plura ſcire videatur; in quibus omnibus profectò datur intelligi quanta debeat eſſe diſcretio in prædicatione ſacerdotis, qua ſi forte caruerit, tanquàm torto naſo ſacerdotalis officij iudicatur indignus.

Quarta e Iſidori auctoritas in lib. 2.c. 6. de eccleſiaſticis officijs. §. qui enim in Concil. Aquiſgran. cap. 9.3. vol. Concil. pag. 301.

Qui enim erudiendis, atque inſtituendis de virtute populis præerit, neceſſe eſt, vt in omnibus ſanctus ſit, & in nullo reprehenſibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipſe de peccato debet eſſe alienus. Nam qua fronte ſubiectos arguere poterit, cum illi ſtatim poſsit correptus ingerere. Ante doce te, quæ recta ſunt,

Epi-

Epiſcope? Quapropter, qui negligit recta facere, deſinat, & recta docere. Prius quippe ſemetipſum corrigere debet, qui alios, ad bene viuendum admonere ſtudet, ita vt in omnibus ſemet ipſum formam viuendi præbeat, cunctosque ab bonum opus, & doctrina, & opere prouocet. Cui etiam ſcripturarum ſcientia neceſſaria eſt: quia ſi Epiſcopi tan tum ſit ſancta vita ſibi ſoli poteſt prodeſſe ſic viuens. Porro ſi, & doctrina fuerit eruditus, poteſt cęteros quoſque inſtruere, & docere ſuos, & aduerſarios repercutere. Qui niſi refutati fuerint, atque conuicti, facile poſſunt ſimplicium corda peruertere. Huius autem ſermo debet eſſe purus, ſimplex, & apertus, plenus grauitate, &

honeſtatę, plenus ſuauitate, & gratia, tractans de myſterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de diſciplina iuſtitiæ. Vnumquemq; diuerſa admonens exhortatione iuxta profeſsionis morumq; qualitatem, videlicet, vt prænoſcat quid, cui, quando, vel quomodo proferat. Cuius pręcęteris ſpeciale officium eſt, ſcripturas legere, procurrere canones, exempla ſanctorum imitari, vigilijs, ieiunijs, orationibus incumbere, cum fratribus habere pacem, nec quemquam ex membris ſuis diſcerpere, nullum damnare, niſi comprobatum, nullum excommunicare, niſi diſcuſſum.

Quinta eſt auctoritas Auguſt. in libro ad paſtores quę habetur in Concil. Aquiſgr. c. 12. in 3. vol. Conc. pag. 304.

Qui

Qui paſtorum nomina audire volunt, & paſtorum officium implere nolũt, quid ad eos per Prophetam dicatur, ſicut lectum audiuimus, recẽſeamus, audite vos cum intentione, audiamus nos cum tremore, & factum eſt verbũ Domini: Inquit Ezechiel ad me dicens. Filij hominis prophetiza ſuper paſtores, & dic ad paſtores Iſrael: Hanc lectionem modo, cũ legeretur, audiuimus. Hinc cum veſtra ſanctitate aliquid loqui decreuimus. Adiuuabit Dominus ipſe, vt vera dicamus, ſi non noſtra dicamus: nam ſi noſtra dixerimus paſtores erimus paſcentes nos, non oues. Si autem illius ſunt, quę dicimus, per quemlibet ipſe nos paſcet. Hæc dicit Dominus Deus: Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcunt ſe ſolos. Ezech. 34.

Nun-

Nunquid oues paſcunt paſto res? ideſt, non ſe paſcunt pa ſtores, ſed oues. Hæc prima cauſa eſt, quare arguantur iſti paſtores, quia ſe ipſos pa ſcont non oues. Qui ſunt, qui ſe ipſos paſcunt? De quibus Apoſtolus dicit: omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt, non
Phil. 2. quæ Ieſu Chriſti. Nos enim, quos in loco iſto, de quo periculoſa ratio redditur, Dominus ſecundum dignationẽ ſuam, non ſecundum meritũ noſtrum conſtituit, habemus duo quidem, vnũ quod Chriſtiani ſumus; alterum, quod Præpoſiti ſumus. Illud, quod Chriſtiani ſumus, propter nos eſt, quod autem Prepoſiti ſumus, propter vos eſt. In eo, quod Chriſtiani ſumus atten ditur vtilitas noſtra; in eo, quod Prępoſiti ſumus, non ni ſi veſtra.

Sexta eſt auctoritas in d. lib.paſtor. in proemio quod eſt in Concilio Aquiſgr.c.13. in 3. vol. Concil.pag. 308.

Cum rerum neceſsitas expoſcit,penſandum valde eſt, ad culmen quiſque regiminis qualiter veniat, atque ad hoc rite perueniens,qualiter viuat , & bene viuens, qualiter doceat, & recte docẽs,infirmitatem ſuam quotidie quanta conſideratione cognoſcat,ne aut humilitas acceſſum fugiat,aut peruentio ni vita contradicat , aut vitam doctrina deſtituat , aut doctrinam præſumptio extol lat. Prius ergo appetitum timor temperet,poſt autẽ mamagiſterium,quod non à quȩ rente ſuſcipitur,vita commẽdet : ac deinde neceſſe eſt, vt paſtoris bonum,quod viuendo oſtenditur,loquendo pro-

 pagetur.

pagetur. Ad extremum verò ſupereſt, vt perfecta quæque opera conſideratio propriæ infirmitatis deprimat, ne hęc ante occulti arbitri oculos, tumor elationis extinguat.
Iſa.58. Eſaiſas quoque Propheta ait; clama ne ceſſes, ſicut tuba exalta vocem tuã. Præconis quippe officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotium accedit, vt ante aduentum iudicis, qui terribilis ſequitur, ipſe ſcilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo ſi prædicationis eſt neſcius, quam clamoris vocem daturus eſt præco mutus? Fortes perſeuerantesq; doctores vt imputribilia ligna quærendi ſunt, qui inſtructioni ſacrorũ voluminum ſemper inhærentes, ſanctæ eccleſiæ vnitatem denuncient, & quaſi intromiſsis circulis arcam Domi-

ni portent. Vectibus quippe arcam portare eſt, bonis doctoribus ſanctam eccleſiam ad rudes infideliũ mẽtes prędicando deduci. Qui auro quoque iubentur operiri, vt cum ſermone alijs inſonant, ipſi etiam vitę ſplendore fulgeſcant. De quibus aptè ſubiungitur. Qui ſemper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis. Quia nimirum neceſſe eſt, vt qui ad officium prędicationis excubãt, à ſacræ lectionis ſtudio non recedant.

Septima auctoritas Iſidori lib. 3. de ſummo bono cap. 35. quæ habetur in Concilio Aquiſgr. cap. 16. in 3. parte Concil. pag. 311.

Sicut iniqui, & peccatores miniſterium ſacerdotale aſſequi prohibentur, ita in docti, & imperiti à tali officio re-

trahuntur. Illi enim exemplis ſuis vitam bonorum corrumpunt, iſti ſua ignauia iniquos corrigere neſciũt. Quid enim docere poterunt, quod ipſi non didicerunt? Deſinãt locum docendi ſuſcipere qui neſcit docere. Ignorantia quippe præſulum, vitæ non congruit ſubiectorum. Cæcus enim ſi cæco ducatum
Mat. 15 præſtet, ambo in foueam cadunt. Sacerdotes in doctos per Iſaiam Propretam ita Dominus improbat: ipſi (inquit paſtores ignorauerũt intelligentiam. Et iterum ſpeculatores eius cæci omnes. i. imperiti Epiſcopi neſciunt inquit vniuerſi canes muti non valentes latrare, hoc eſt plebes commiſſas non valentes, reſiſtendo malis, per verbum doctrinæ defendere.

Idem dicit Iſidor. in dict.

lib.

lib. 3. cap.36. de ſummo bono. In eodem Concil. Aquiſgran. c. 20.

Tam doctrina, quàm vita, clarere debeat Eccleſiaſticus doctor. Nam doctrina ſine vita arrogantem reddit: vita ſine doctrina, inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda eſt, ita vt, quod docet verbo, inſtruat exemplo. Vera eſt enim illa doctrina, quam viuẽdi ſequitur forma. Nam nihil turpius eſt, quam ſi bonum quod ſermone quiſque prędicat, explere opere negligat. Tũc.n. prædicatio vtiliter profertur, quando efficaciter adimpletur. Vnuſquiſque doctor & bonę actionis, & bonæ prædicationis habere debet ſtudium. Nam alterum ſine altero non facit perfectum; ſed præcedat iuſtus bene agere,

vt ſequenter poſsit benè docere, ſicut in nomiſmate metallum, figura, & pondus inquiritur, ita in omni doctore eccleſiaſtico, quid ſequatur, quid doceat, quomodo viuat. Per qualitatem igitur metalli doctrina, per figurã ſimilitudo patrum, per pondus humilitas deſignatur. Qui ergo ab his tribus diſcrepauerit, non metallum, ſed terra erit.

Et in c. 43. de ſummo bono Iſidor. quod eſt in eod. Concil. Aquiſgr. c. 23.

Non omnibus vna eademquè doctrina eſt adhibenda: ſed pro qualitate morum, diuerſa exhortatio erit doctorum. Nam quoſdam increpatio dura, quoſdam vero exhortatio corrigit blanda, ſicut periti medici, ad varios corporis morbos, diuerſo medica-

dicamine ſeruiunt, ita vt iuxta vulnerum varietates, medicina diuerſa ſit, ſic doctor eccleſię, ſingulis quibuſque hominibus congruũ doctrinæ remedium adhibebit, & quod cuique oporteat, pro ætate, pro ſexu, ac profeſsione adnunciabit. Non omnibus ea quæ ſunt clauſa aperienda ſunt. Multi enim ſunt, qui capere non poſſunt; quibus ſi indiſcrete, manifeſtentur, ſtatim, aut detrahunt, aut negligunt. Prima quippe prudentiæ virtus eſt, eam, quam docere oporteat, exiſtimare perſonam. Rudibus populis, ſeu carnalibus plana atque communia, nõ ſumma atque ardua prædicanda ſunt, ne immenſitate doctrinæ opprimantur potius, quã erudiantur. Vnde Paulus Apoſtol. ait. Non potui vo- 1. Cor. 3.

bis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tãquàm paruulis in Chriſto, lac vobis potũ dedi, non eſcam. Carnalibus quippe animis, nec alta nimis de cęleſtibus, nec terrena conuenit prædicare, ſed mediocriter, vt initia eorum moresq́; deſiderant è doceri.

Idem in d. lib. 3. de ſummo bono. c. 44. in d. Conc. Aquiſgran. c. 25. pag. 315.

Pro malo merito plebis aufertur doctrina prædicationis: pro bono merito audiẽtis, tribuitur ſermo doctoris. In poteſtate diuina conſiſtit, cui velit Deus doctrinæ verbum dare, vel cui auferre, & hoc aut pro dicentis, aut pro audientis fit merito, vt modo pro culpa plebis auferatur ſermo doctoris, modo verò pro vtilitate rectoris tribuatur. Nam & bonus docet

bo-

bonum, & malus malum, & bonus malum, & malus bonū, quod tamen ſit iuxta meritum populorum. Non omnia tempora congruunt doctrinæ ſecundum Salomonis ſententiam, dicentis. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Eccl.3.
Non quidem per timorē, ſed per diſcretionem, propter malorum incorrigibilem iniquitatem, non nunquam electos oportet à doctrina ceſſare. Interdum doctores eccleſiæ calore caritatis ardētes, conticeſcunt à docēdo, quia non eſt qui audiat, teſtante Propheta. Ciuitates auſtri Hyer. 13.
clauſæ ſunt, & non eſt qui aperiat. Qui docendi accipit officium, interdum ad tempus facta proximi taceat, quæ ſtatim corrigere nequaquā exiſtimat. Nā ſi corrigere poteſt & diſsimulat, verum eſt quod

conſenſum erroris alieni habeat. Plerique Sancti Doctores pro mali pertinacia, quia iniquos emendare nequeũt, his tacere diſponunt; ſed calorem ſpiritus, quo aguntur, ferre non ſuſtinentes, iterum in increpationem proſiliunt impiorum.

Idem in eodem lib. 3. de ſummo bono. c. 37. in d. Concil. Aquiſgr. c. 29. pag. 318.

Interdum doctoris vitio etiã ipſa verax doctrina vileſcit, & qui non viuit ſicut docet, ipſam quam prædicat veritatem, contemptibilem facit. Arcus peruerſus eſt lingua magiſtrorum docentiũ bene, & viuentium male, & ideo quaſi ex peruerſo arcu ſagittam emittunt, dum ſuã prauã vitam propriæ linguæ ictu confodiunt. Qui bene docet, & male viuit, tanquàm

æs, aut cymbalum ſonitum facit alijs, ipſe tamen ſibi manet inſenſualis. Qui bene docet, & male viuit, quod docet bene viuētibus proficit, quod verò male viuit, ſe ipſum occidit; ſicut ſacerdos qui ſi digne ſe agit, vt ſacerdotem decet, miniſterium eius, & ipſi, & alijs vtile eſt, indigne autē viuens, & alijs quidem vtilis eſt loquendo, ſe autem interficit praue viuendo. Ac per hoc quod in illo mortuū eſt, proprium eius eſt; quod verò viuit in eo, ideſt ſacrum miniſterium, alienum eſt. Qui bene docet, & male viuit, videtur, vt cereus, qui alijs bonam nouit lucem præſtare, ſe verò in malis ſuis conſumere, atque extinguere. Qui bene docet, & male viuit, videtur bonum malo coniungere, lucem tenebris permiſcere

re, veritatem mendacio mutare.

Idem qui ſupra.c. 38. in d. Concil. Aquiſgr.c. 30.

Sæpe per quos iuſtitia docetur, per ipſos peccati mor bus inrepit, & mors ad plebes pertranſit, ſcilicet, vel dum mala docent, vel dum praua faciunt. Pleriq; ſacerdotes, & clerici praue viuentes, for ma cæteris in malum exiſtũt, qui in bonis exemplum eſſe debuerunt. Hi enim quoſcun que exemplo malæ conuerſa tionis ſuæ perdunt, de illis ra tionem ſine dubio redduturi ſunt. Ex carnalium præpoſitorum exemplo, plerunque fit vita deterior ſubditorum, & plebis meritò fiunt tales ſa cerdotes, quia exemplo dete riore populum deſtruant, nõ ędificent. Ex meritò enim plebis nonnunquam epiſco-

pi deprauantur, quatenus proclinius corruant, qui ſequuntur. Capite langueſcente, cœtera corporis membra inficiuntur. Vnde & ſcriptum eſt; omne caput languidum, & omne cor mærens à planta pedis, vſque ad verticem, non eſt in eo ſanitas. Caput enim languidum, doctor eſt agens peccatum; cuius malum ad corpus peruenit, dum eo vel peccante, vel praue docente, peſtifer languor ad plebes ſubditas tranſit. Deteriores ſunt, qui ſiue doctrinis, ſiue exemplis vitam, moresque bonorum corrumpunt, his qui ſubſtantias aliorum prædiaque diripiunt. Hi enim ea, quæ extra nos, ſed tamen quæ noſtra ſunt, auferunt; corruptores verò morum, propriè nos ipſos diripiunt; quoniam

Iſa. 1.

niam diuitię hominum iuſtorum, mores eorum ſunt. Multum ergo diſtant damna morum, à damnis temporalium rerum, dum iſta extra nos ſint, mores verò in nobis.

Idem in d.loco.c.46.in eodem Conc. c.36.

Sacerdotes pro populorum iniquitate damnantur, ſi eos aut ignorantes nō erudiant, aut peccantes non arguant, teſtante Domino ad Prophetam, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, ſi non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ille in iniquitate ſua morietur, ſanguinem verò eius de manu tua requiram.

Ezech. 3.

Octaua auctoritas eſt Gregorij in homil. 26. ſuper Io: 20. in d. Concil. Aquiſgr. c. 37. pag. 322.

Prædicatores ſancti, qui di

ſtri-

ſtrictum Dei iudicium metuunt, animarũ iudices fiunt, & alios damnant, & liberant; qui ſemetipſos damnari metuebant: Horum profectò nunc in eccleſia Epiſcopi locum tenent, ſoluendi atque ligandi, auctoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed graue põdus iſtius eſt honoris. Durum quippe eſt, vt qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, Iudex fiat vitæ alienæ, & plerunque contigit, vt ipſe iudicij locum teneat, cui ad locum vita minimè concordat. Ac proinde ſępe agitur, vt vel damnet immeritos, vel ipſe ligatus, alios ſoluat ſæpè in ſoluendis, ac ligandis ſubditis ſuæ volũtatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur; vnde fit, vt ipſa hac legandi, atque

que ſoluendi poteſtate ſe priuet, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubiectorum meritis exercet. Sæpe fit vt erga quemlibet proximum odio, vel gratia moueatur paſtor. Iudicare autem dignè de ſubditis nequeunt, qui in ſubditorum cauſis ſua vel odia, vel gratiã ſequãtur; vnde rectè per Prophetam dicitur. Mortificabant animas, quæ non moriuntur, & viuificabant animas, quæ non viuunt. Non morientem quippe mortificat, qui iuſtũ damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum à ſupplicio conatur abſoluere.

Ezech. 13.

Idem in paſtor. lib. 1.c. 2. in d. Conc. cap. 27.

Sunt nonnulli, qui ſolerti cura ſpiritualia pręcepta perſcrutantur, ſed quæ intelligẽdo penetrant, viuendo conculcant.

culcant . Repente docent, quæ non opere, ſed meditatione didicerant, & quod verbis prędicant, moribus impugnant; vnde fit, vt cum paſtor per abrupta graditur ad præcipitiũ grex ſequatur . Hinc Ezech. namque per Prophetam Do- 34. minus contra contemptibilem paſtorum ſcientiam quæritur dicens . Cum ipſi lympidiſsimam aquam biberetis, reliquam pedibus veſtris turbabatis, & oues, quę conculcata pedibus veſtris fuerant paſcebantur, & quæ pedes veſtri turbauerant, hæc bibebant, Aquam lympidiſſimam paſtores bibunt, cum fluenta veritatis, rectè intelligentes hauriunt; ſed eandem aquam pedibus perturbare eſt ſanctæ meditationis ſtudia malè viuendo corrumpere . Aquam ſcilicet paſto-

rum turbatam pedibus oues bibunt, cum ſubiecti quique non ſectantur verba, quæ audiunt, ſed ſola; quæ conſpiciunt exempla prauitatis imitantur; qui cum dicta ſitiunt, & per opera peruertũtur, quaſi corruptis fontibus in potibus lutum ſummunt: Nemo amplius nocet in ecclesia, quã qui peruersè agẽs, nomen, vel ordinem ſanctitatis habet.

Idem in Prolog. lib. 3. Paſtoral. in d. Concil. c. 24.

Quia igitur qualis eſſe debeat paſtor ſuperius oſtendimus, nunc qualiter doceat, demonſtremus, vt enim longè ante nos reuerendæ memoriæ Gregor. Nazian. edocuit, non vna eademque cunctis exhortatio cõgruit, quia nec cunctos par morum qualitas adſtringit, ſæpe namque

alijs officiunt, quæ alijs proſunt, quia plerunque herbæ, quæ hæc animalia nutriunt alia occidunt. Et lenis ſibilus ęquos mitigat, catulos ininſtigat, & medicamentum, quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit, & panis, qui vitam fortium roborat paruulorum necat. Pro qualitate ergo audientium formari debet ſermo doctorum, vt, & ad ſua ſingulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat; quid enim ſunt intentę mẽtes auditorum, niſi (vt ita dixerim) quædam in cythara tenſiones tractæ cordarum? quas tangendo artifex, vt non ſibimet ipſi diſsimile canticum faciat, diſsimiliter pulſat, & idcirco corde conſonam modulationem reddunt, quia vno quidem

ple-

plectro, ſed non vno impulſo feriuntur; Doctor quiſque vt vna cunctos virtute charitatis ædificet, ex vna doctrina, non vna eademque exhortatione tangere corda audiētium debet; Doctor etenim qui loci ſui neceſsitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſsitate compellitur ſumma monſtrare. Illa namque vox libētius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat oſtendendo adiuuat, vt fiat; Hinc .n. per Prophetam Dominus di-
Eſa. 40 cit. Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, vt videlicet qui cœleſti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videatur, tantoque facilius ſubditos ad meliora

per-

pertrahat , quanto per vitæ meritum de ſuperius clamat.

Idem in libr. 11. Moral. cap. 9. pag. 316. in eod. Concil. cap. 27.

Cum ſacerdos non agit bona, quæ loquitur, ei etiam ſermo ſubtrahitur, ne loqui audeat, quod non operatur, ſicut per Prophetam dicitur. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitiam meam, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum; vnde etiam deprecatur dicens. Et non auferas de ore meo verbum veritatis, vſque quaque, perpedit namque quod omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit; qui ergo hoc de ore ſuo nō auferri petijt, quid aliud quam gratiam bonę operationis quęſiuit?

Pſalm. 118.

uit? Ac ſi apertè diceret. A bono opere errare me non ſinas, ne dum amitto ordinem bene viuendi, rectitudinem perdã loquendi. Plerunq; doctor, qui docere audet quod negligit agere, cum deſierit bona loqui. Quæ operari cõtempſit, docere ſubiectos incipit praua, quę agit, vt iuſto omnipotentis Dei iudicio, in bono iam nec linguam habeat, qui habere bonam vitã recuſat.

Nona eſt auctoritas Proſperi de vita contempl. lib. 1. c. 20. in eod. Concil. c. 26. pag. 315.

2. The. 3. Quod verò dicit Apoſt. vt nos formam debeamus exhibere fidelibus quid valebit, ſi is cui, vel exhortandi bonos, vel caſtigandi malos cura cõmiſſa eſt, benè viuendo ſe imitandum bonis exhibeat,

&

& malos tacendo nõ arguat? Ad hoc enim (niſi me fallit opinio) ſanctè viuendum eſt ſacerdoti, ne dicta ſua repugnantibus factis euacuet, ſi quod prædicat fieri debere non faciat, aut ſi quod non facit prædicare præſumpſerit, nihil apud eos, qui eius vitam nouere proficiat: quia, ad hoc eſt eccleſiæ Dei præpoſitus, vt non ſolum bene viuẽdo alios exemplo ſuæ conuerſationis inſtituat, ſed etiã fiducialiter prædicando ſingulis ante oculos peccata ſua conſtituat, quæ pœna maneat duris, quæ gloria obedientibus oſtendat; ſanctæ debet viuere propter exemplum, & piè docere, propter ſuæ adminiſtrationis officiũ; ille autẽ cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt, etiam ſi ſanctè viuat, & tamen perdite viuen-

uentes arguere, aut erubeſcat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierint perit.

Vltima eſt auctoritas Concil. Trid. in c. 2. ſeſſ. 5. de reform. & c. 4. ſeſſ. 24.

Quia verò Chriſtianæ Reipub. non minus neceſſaria eſt prędicatio Euangelij, quã lectio; & hoc eſt præcipuum epiſcoporum munus, ſtatuit, & decreuit eadem ſancta ſynodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prę latos teneri perſe ipſos, ſi legitimè impediti non fuerint ad prædicandum ſanctum Ieſu Chriſti Euangelium: ſi verò contigerit Epiſcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Concilij viros idoneos aſſumere tenean-

neantur ad huiuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit diſtrictæ ſubiaceat vltioni.

Cap. IX.

SEquitur. Non percuſſorē: Non enim oportet Epiſcopum ita eſſe iraſcibilem, & & perturbati ſenſus, vt percutiat, qui debet eſſe patiēs; ſed ſequatur eum, qui dorſum poſuit ad flagella. Gratian. 45. diſt.

Iuxta hanc Reg. quæro, vtrū licitè ſit prohibitū, ne promouendus in Epiſcopum ſit percuſſor.

REſpond. ſecundum Turrecr. in c. 1. 45. diſt. Quod duplex eſt percuſ- S. Ant. §. 9.

 ſio,

ſio, quædam ſcilicet eſt ſpiritualis, cum indiſcretus prælatus ſermone in vtili corda percutit infirmorum, quę percuſsio ſignificata fuit Exod. 21. ſi riſſati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem. Vt exponit Origenes, & de tali ponitur iſta concluſio. Quod talis percuſsio ſemper eſt illicita, cuicunque prælato, patet cõcluſsio, quia talis percuſsio ſemper eſt mala in. c. vlt. huius diſtin. Alia percuſsio eſt corporalis, quæ licet fiat corporaliter manu percutiẽdo, vel ſimili verberando, ſed hæc fit aliquando ex malitia, vel odio, vel vt verberans magis timeatur, & de hac eſt cõcluſio. Quod omnibus eſt illicita, ita omnibus prohibita, & peccatum mortale. Vnde depoſitionem inducit,

vt

vt patet in ſeq. c. huius diſt. & cap. epiſcopo. Aliquando fit ex charitate, & correctionis cauſa, vt ſclicet vita hominum corrigatur, & de iſta eſt concluſio, quod iſta eſt licita epiſcopis, & omnibus habentibus auctoritatem in ſuos ſubditos. Hęc concluſio colligitur aperte. ead. dict. c. cum beatus, & in c. ante omnia diſt. 35. hoc excepto, quod Epiſcopus neminem propria manu debet percutere, aut verberare, diſt. 86. c. non liceat, & hoc propter reuerentiam ſanctitatis beneficij epiſcopalis, cui ſanctitas ignoſcendi gloriam dereliquit, vt C. de epiſcopis, & cler. l. ſi quis in hoc genus, vel propter ſuam manſuetudinẽ & humanitatem oſtendendam. Vnde Dominus Epiſcopis ait. Mat. 5. Diſcite à me

quia mitis ſum, & humilis corde. Poteſt enim epiſcopus per alium ſubijcere peccantes verberibus, vt 5.q.5.c.illi qui, & q.6.c. quia. Ita tamē, quod verberandus ſit clericus, non per laycum, ſed per clericos eſt verberandus, niſi clericus eſſet penitus in corrigibilis, tunc enim poteſt per laycum verberari. Ita tamen, quod layci violentia nō amplius ſe extēdat quam extenderit ſe rebellio clericorum. Si autem citra incorrigibilem epiſcopus clericum ſubijceret verberibus per manum layci, & mandans, & verberans incidunt in excōmunicationem, ext. de ſent. excom. c. vniuerſitatis. Vide quæ dixi in ſumma Decr. 45. diſt. art. 1.

Vnde Greg. lib. 2. epiſt. 52. c. quid autem. 45. diſt.

Quid

Quid autem de epiſcopis, qui verberibus timeri volunt canones dicant, benè fraternitas veſtra nouit. Paſtores etenim facti ſumus non percuſſores, & egregius prædicator dicit. Argue, obſecra increpa in omni patientia, & doctrina. Noua verò, atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. 2.Tim. 4.

Idem lib. 11. epiſt. 15. cap. qui ſincera. 45. diſt.

Qui ſincera intentione extraneos à Chriſtiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis non aſperitatibus debent ſtudere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat reuocare, pellat procul aduerſitas. Nam quicunque aliter agunt, & eos ſub hoc velamine à conſueta ritus ſui

volunt cultura ſuſpendere, ſuas illi magis, quam Dei cauſas probantur attendere.

Et in c. licet. 45. diſt.

Licet plerunque accidant in ſacerdotibus, quæ ſunt reprehendenda; plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quam ſeueritas, plus cohortatio, quam comminatio, plus charitas quam poteſtas, cum nemo noſtrum ſine reprehenſione, aut ſine peccato viuat. Nam ſi Dominus ſtatim poſt trinam negationem beatum Petrum Apoſtolum pręceptorem noſtrum iudicaſſet, non tantum ex eo fructum, ſicut fecit recepiſſet, expectandi ergo, atque corrigendi magis ſunt rectores eccleſiæ, quam ſtatim iudicandi.

Prou. 23. Salomon vero contra admonet dicens. Percute filiũ

tuum

tuum virga, & liberabis ani-
animam eius à morte. Hinc
etiam Beatus Gregorius ſcri
bit in Dialogo Beatum Bene
dictum, quendam monachũ
virga percutiendo ſanaſſe,
quem crebra admonitione
curare non poterat. Hinc e- Ioan. 2
tiam Dominus flagello facto
de funiculis, malè verſantes
in templo flagellauit, & de o-
rationis domo eiecit. Hinc 1. Cor.
etiam Apoſtolus fornicato- 5.
rem illum Satanæ corporali-
ter vexãdum tradidit, & Ma-
gum illum corporali cęcita-
te damnauit. Hinc etiam in Act. 13.
canonibus, pueri qui ante ra-
tionales annos irrationabi-
liter verſantur, verberibus
caſtigari iubentur; virgines
quoque ſi religionis veſte de-
poſita alijs ſe copulauerint,
ergaſtulis retrudi præcipiun
tur.

Ideo quæro vtrum Epiſcopus vti debeat ſimul iuſtitia cum miſericordia.

RESpond. quod ſic ſecundum Greg. in lib. 20. Moral. p. 4. c. 6. c. diſciplina. 45. diſtinct.

Diſciplina, vel miſericordia multum deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur; ſed circa ſubditos ſuos in eſſe rectoribus debet, & iuſte conſolãs miſericordia, & piè ſęuiens diſciplina. Hinc eſt quod ſemiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinum adhibetur, & oleum, vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueãtur; quatenus vnusquiſque ſanandis vulneribus præeſt in vino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiẽ pietatis: per vinum mundentur

tur putrida, per oleum ſanan da foueantur. Miſcenda eſt ergo lęnitas cum ſeueritate, faciendumq; quoddam ex vtraque temperamentum, vt neque multa aſperitate exulcerētur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul, & manna eſt, quia cum ſcripturæ ſacræ ſcientia, in boni rectoris pectore, ſi eſt virga districtionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait. Virga tua, & baculus tuus, ipſa mę conſolata ſunt, virga etenim percutimur, & baculo ſuſtentamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quę ſuſtentet. Sit itaque amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non

immoderatè ſæuiens; ſit pietas, ſed non plus, quam expediat, parcens. Intueri libet in Moyſi pectore miſericordiam cum ſeueritate ſociatam. Videamus amantem pie, & diſtrictè ſæuientem.

Item Iſidorus lib. 3. ſent. de ſummo bono. c. 54. c. omnis 45. diſt.

Omnis qui iuſtę iudicat, ſtateram in manu geſtat, & in vtroque penſo iuſtitiam, & miſericordiã portat; ſed per iuſtitiam reddit peccanti ſententiam, per miſericordiam, peccanti temperat pœnam, vt iuſto libramine, quædam per æquitatem corrigat; quædam verò per miſericordiam indulgeat. Qui Dei iudicia oculis ſuis proponit ſemper timens, & tremens in omni negotio formidat; ne de iuſtitię tramite deuians cadat,

& vnde non iuſtificatur, inde potius condemnetur.

Et Gratian. in §. ex his 45. diſtinct.

Ex his omnibus apparet, quod nec lęnitas monſuetudinis ſine rectitudine ſeueritatis, nec zelus rectitudinis ſine manſuetudine in prælatis debet inueniri. Percuſſores ergo, qui pręmiſsis auctoritatibus ab epiſcopali officio remouentur, nō quilibet corporaliter flagellantes; ſed prætermiſſa māſuetudine ad verbera ſemper parati intelligendi ſunt, qui per flagella non vitia corrigere, ſed timeri appetunt, quibus Petrus ſcribit. Ne ſitis dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo: Hinc etiam Gregor. ſcribit in moral. lib. 19. par. 4. c. 23. c. ſunt 45. diſt.

Sunt namque nonnulli, ita

diſtricti, vt omnem etiam manſuetudinem benignitatis amittant, & ſunt nonnulli ita manſueti, vt perdant diſtricti iura regiminis. Vnde cunctis rectoribus, vtraque ſummopere ſunt tenenda, vt nec in diſciplinę vigore benignitatem manſuetudinis, nec rurſum manſuetudine diſtrictionem deſerant diſciplinæ, quatenus nec à compaſsione pietatis obdureſcant, cum cō tumaces corrigunt, nec diſciplinæ vigorem molliant, cum infirmorum animos cōſolantur. Regat ergo diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorē; & ſic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor ſit rigidus, nec māſuetudo diſſoluta.

Item Homil. 34. in Euang. c. vera. 45. diſt.

Vera iuſtitia compaſsionē habet;

habet; falſa verò dedignationem; quamuis, & iuſti ſoleãt rectè peccatoribus dedignari, ſed aliud eſt, quod agitur typho ſuperbiæ, aliud quod zelo diſciplinæ. Dedignantur etenim, ſed non dedignantes, & poſt pauca.

At contra hi qui de falſa iuſtitia ſuperbire ſolent, cæteros quoſque deſpiciũt nulla infirmantibus miſericordia condeſcendunt, & quo ſe peccatores eſſe nõ credunt, eo deterius peccatores fiũt.

Notandum tamen eſt ſecundum Turrecr. in c. omnis 45. diſt.

Quod quidam volentes citò ſe expedire de iſta quæſtione, dicunt, quod in diuerſis criminibus eſt verum, quod hic dicitur de miſericordia, & iuſtitia, & nunc ſenſum videtur litera innuere, vbi dicitur,

citur, vt iuſto libamine quædam per æquitatē corrigat, quædam vero, per miſerationem indulgeat, & ad hūc modum reſponſionis tendit prima reſponſio, quam dat gloſ. præſentis. c. ita dicens. Dicitur Iudex ſeruare miſericordiam, & rigorem non, quod ſimul exerceat ea circa aliquem, ſed quia ſi opus fuerit & cauſa ſubeſt, debet eſſe rigidus in iudicando. Aliter reſpondetur ſecundum aliquos quorū reſponſio videtur nobis conuenientior diſtinguēdo de miſericordia. Aut per compaſsionem mentalem, aut per relaxationem, ſiue mitigationem, pęnæ. Dicunt enim pro prima concluſione, quod Iudex, ſemper debet habere miſericordiam, ſaltē compaſsionis in puniendo, quia vt inquit Gregorius vera

ra iuſtitia compaſsionem habet, falſa verò dedignationē. Secundo dicunt pro ſeçunda concluſione, quod non oportet, quod Iudex ſemper habeat iudicãdo per relaxationem, aut mitigationem pęnæ debitæ; Vnde Aug. Duo iſta nomina, cum dicimus homo peccator, non vtique fruſtra dicuntur, quia peccator eſt, corripe, quia homo eſt, miſerere, nec omnino liberabis hominem, niſi cum proſequutus fueris peccatorem nulli homini claudenda eſt miſericordia, nulli peccato impunitas eſt relaxanda. Dixi in ſumma Decreti diſtinctio. 45. art. 3.

Autor.

Item

Item quæro vtrũ Epiſcopus poſſit licitè pœnam delinquenti dimittere, vel relaxare.

RESpond. quod non. quoniam ſi hoc ageret miſericordiam ſine iuſtitia exerceret. c. omnis. 45. diſtinct. vbi Turrecrem. in art. 2. dicit.

Quod duo, quantum ad propoſitum pertinet, ſunt circa Iudicem conſideranda, quorum vnum eſt quod ipſe debet iudicare inter actorem, & reum. Aliud eſt quod ipſe non fert iudicij ſententiam, quaſi ex propria, ſed quaſi ex publica poteſtate. Duplici ergo ratione impeditur Iudex, ne reum à pœna abſoluere poſsit. Primo quidem ex parte accuſatoris, ad quem ius quandoque pertinet, vt

reus puniatur, puta propter aliquam iniuriam in ipſum commiſſam, cuius relaxatio nõ eſt in arbitrio alicuius Iudicis, quia quilibet Iudex tenetur ius ſuum reddere vnicuique. Alio modo impeditur ex parte reipublicæ, cuius poteſtate fungitur, ad cuius bonũ pertinet, quod male factores puniantur, ſed tamen, quantum ad hoc differt inter inferiores Iudices, & ſupræmum Iudicem, ſcilicet Principem, cui eſt plenaria poteſtas publica commiſſa. Iudex enim inferior non habet poteſtatem abſoluendi reum à pœna contra leges à ſuperioribus poſitas; vnde ſuper illud Ioan. 19. Non haberes in me poteſtatem vllã, dicit Auguſt. Talem Deus dedit Pilato poteſtatem, vt eſſet ſub Cæſaris poteſtate, ne

ei om-

ei omnino liberum eſſet accuſatum abſoluere, ſed Princeps qui habet plenariam poteſtatem in Republica, ſi ille qui paſſus eſt iniuriam, velit eam remittere , poterit eum licitè abſoluere, ſi hoc publicè vtilitati viderit non eſſe nociuum.

Item quæro vtrum Epiſcopus poſsit licitè punire in ſe delinquentem.

RESp. quod ſic. cap. & qui emendat 45. diſt. vbi Turrecrem. dicit.

Aut iniuria, quæ infertur perſonæ Iudicis redundat in Deum, & in Eccleſiam. Tunc eſt iſta concluſio. Quod Iudex debet, & poteſt iniuriam illam vindicare. Iſta concluſio patet exemplo Heliæ, ad cuius preces, vt dicit Ambro

ſius.

ſius. Ignis deſcendit de cęlo 1. Reg. 1. vt Prophetæ vindicaretur iniuria ſupple, in quã tum Propheta. i. nuntius Dei fuit, ſic enim ſua iniuria fuit iniuria mittentis. Secundo patet exemplo Heliſei, qui deriſionem ſuam vindicauit pueros maledictione ſua vrſis laniandos. 4. Reg. 2. Tertio patet exemplo Pauli, qui actum. 23. dixit Principi Sacerdotum, percutiat te Deus paries dealbate. Circa quam quæſtionem iuxta Dominum Vlricum nota, quod vindicare propriam iniuriam non licet alicui, niſi diuina reuelatione motus ſit, quia alias homo poſſet habere zelum, ſed non ſecundum conſcientiam, quia Deus non ſemper vult ſtatim vlciſci iniuriam, ſed diſsimulat peccata homi num propter Pœnitentiam.

Sapientiæ 11. & ideo Apoſtolis dicentibus propter irreuerentiam Chriſto illatam Domino, vis vt deſcendat ignis &c. Reſpondet. Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Luc. 9. Vnde tunc ſolum licet homini propria auctoritate, cũ hoc facit diuina inſpiratione. Et ideo, quod in Helia, & in Sanſone ſcriptura commendat, in Apoſtolis Dominus reprehendit, hæc ille. Si vero iniuria illata iudici ad eius perſonam tantum pertineat; tunc eſt concluſio iſta. Quod Iudex non debet talem iniuriam vindicare, ſed tolerare patienter, ſi expediat; homini enim præcepta patientiæ intelligenda ſunt ſecundum præparationem animi, vt dicit Auguſt. li. de ſermone Domini in mõte, patet hæc concluſio exem

plo Chriſti, qui volens iniuriam propriæ perſonæ tolerare, iniuriam verò Dei non inultam relinquere, ait Diſcipulis. Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis. Lucæ. 9. Hæ verò dictæ concluſiones duæ ſimul probantur auctoritate Beat. Chryſoſt. ſuper Matt. ſic dicentis. Diſcamus exemplo Chriſti noſtras iniurias magnanimiter ſuſtinere, Dei autem iniurias, nec vſque ad auditum ſufferre. Item auctoritate Beati Greg. dicentis. Ea quæ in nos committantur, facile poſſumus dimittere. Ea verò, quę in Deum commiſſa ſunt, cum magna diſcretione nec tamen ſine pœnitentia poſſumus relaxare.

Tertia concluſio ſit, ſi quis iniuriatur Iudicem, ſic quod per talē iniuriā impediatur, aut perturbetur iuriſdictio

ſua,

[illegible] potest [illegible] [illegible] ut notat In- noc. [illegible] cap. cum [illegible], vt deficit [illegible] c. 1. de of- fic. [illegible] ex quo incid- [illegible], & con- [illegible] [illegible] exercere [illegible] de offic. de- leg. [illegible] c. fine. cũ [illegible] cui [illegible] est in [illegible] defendere [illegible] quis ius d. [illegible] leg. [illegible] princ.

Quæro quæ incumbent ad corrigendum, & quæ mala sequantur ex negligentia Prelatorum in corrigendo.

Circa primum dicendum est [illegible] quod

multa

multa ſunt, quæ prælatos debent incitare ad corrigendũ exceſſus, in c. ſed illud 45. diſtinct.

Primum eſt frequens admonitio ſacræ ſcripturæ, ſicut patet in littera dict. cap. præterea ſcribitur Eccleſiaſtici 19. Corripe animum tuum, & 1. ad Theſſa. 5. corripite inquietos. Item Eccleſiaſt. 2. ſi filij tibi ſunt, erudi illos à pueritia eorũ &c. Secundum eſt exemplũ, & maxime Chriſti Matt. 21. zelus domus tuæ comedit me; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum, & Io. 2. cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo &c. Item exemplo zeli in Moyſe, & Leuitis, qui vindictam ſumpſerũt de idolatria Iudaici populi. Exod. 32. Itẽ in Elia, qui interfecit pro-

phetas

phetas Baal. 3. Reg. 18. ſimiliter in Mathatia, qui trucidauit Iudæum ſacrificantem Idolis 1. Machab. 2. tertio incitat ad correctionem faciendam vtilitas ex ea prouemiens. Virga quidem correctionis fructifera eſt, vnde ſignata eſt per illa, quæ protulit flores, & amigdala. Numeri 17. de cuius vtilitate dicitur prouerbiorum vigeſimo nono. Virga atque correctio tribuit tibi ſapientiã, & ideo dicitur Eccleſiaſtici 30. Qui diligit filium, aſſiduat illi flagella, vt letetur in nouiſſimo. Quarto incitat ad correctionẽ malum proueniens ex defectu correctionis, de quo in præſenti c. habetur, qui quãdo quia pro eo quod prælati negligũt corrigere ſubeictos ſuos, ira Dei deſcendit ſuper populos illis commiſſos. Præ

terea patet exemplo Eli. 1. Reg. 3. ſuſcitabo aduerſus Heli omnia quæ locutus ſum ſuper domum eius, eo quod nouerit filios indigne agere, nec corripuit eos, & 3. Reg. 1. Adonias eleuabat dicens. Ego regnabo, & infra; nec corripuit eum pater ſuus, ali quando, quem occaſione re-gni Salomon poſtea fecit oc-cidi, vnde prouerbiorum 13. dicitur. Qui parcit virgæ ſuę odit filium ſuum, & prouer-biorum 29. Puer, qui dimit-titur voluntati ſuæ cōfundit matrem ſuā, & hoc ſufficiat cauſa breuiatis pro primo.

Circa ſecundum, videlicet quantum malum ſit remiſ-ſio, & negligentia correctio-nis in prȩlatis, eſt notandum, quod zelus indiſcretus repre henſibilis eſt, ita & remiſsio. Bernardus. Non iraſci, vbi

iraſcendum eſt,& nolle emendare,peccatum eſt. Plus verò iraſci quam iraſcendum, eſt peccatum addere, remiſsio ipſa eſt,vt ſomnolentia in rectore nauis in tempeſtate, & periculis prouerbiorum 23. Eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo claue. Eſa. 56. Prælatum negligentem aſſimilat dormienti de cuius manu cadit baculus paſtoralis. Item remiſsio in prælato aſsimilatur pigritiæ in agricola,& vinitore. Prouer. 24. Per agrum pigri hominis trãſiui,& per vineam viri ſtulti, & ecce totum replauerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ. Item remiſſio huius in prælato eſt, ſicut defectus latratus in cane gregem ſeruante,quem lupus inuadit.Eſa. 56.Canes muti nõ valen-

valentes latrare. Item eſt defectus buccinæ in ſpeculatore exercitus. Ezech. 33. ſi ſpeculator viderit gladium, & non inſonuerit buccina, & populus non cuſtodiuerit ſe, veneritque gladius, & tulerit de his animam ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, veruntamen ſanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram, & hæc de ſecundo.

Autor.

Percuſſor quoque dicitur, qui ſermone inutili infirmorum conſcientiam vulnerat, vnde Anacl. Papa in epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ. c. ſanè 45. diſt.

Sanè percuſſor ille dicitur doctor, qui ſermone inutili conſcientiam percutit infirmorum. Ideo tenere vos, & omnes fideles oportet eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens

ſit conſolari in doctrina ſancta, & contradicentes redarguere, & rectè viuentes, atque rectam fidem tuentes cō ſolidare.

Similiter etiam oportet Epiſcopum non eſſe percuſſorem, ideſt non ad vindictā facilem, vnde Greg. lib. 11. epiſt. 49. c. ſi quid. 86. diſt.

Si quid verò de quocunque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iuſtè poſsit offendere facilè nō credas; nec ad vindictam te res accendat incognita; ſed præſentibus ſenioribus Eccleſiæ tuæ diligenter eſt veritas perſcrutanda; tunc ſi qualitas rei popoſcerit canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis.

Vel percuſſor eſſe prohibetur, ne videlicet, proprijs manibus aliquem cedat: vnde

de in Agatenſi Concil. legitur.c.non licet.86.diſt.

Non licet Epiſcopo manibus ſuis aliquẽ cedere: Hoc enim alienum à ſacerdote eſſe debet.

Percutit etiam Epiſcopus gladio ſpirituali videlicet excommunicationis, quo tamẽ ſobriè, ac magna circunſpectione vti debet, hoc eſt ne temere, aut ex leuibus rebus incutiatur.c.3.ſeſſ. 25. Concil. Trid.

Cap. X.

SEquitur. Non litigioſum: nihil eſt enim impudentius arrogantia ruſticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati ad lites, in ſubiectos tumidi intonant, quod ex arrogantia, & ſuperbia prouenire manifeſtum eſt, vnde Greg. in Mor.

lib. 23. p. 5. c. 12. ad c. 33. Iob c. 1. 46. diſt.

Hoc habet proprium doctrina arrogantium, vt humiliter neſciant inferre quod docent: & recta quę ſapiunt, recte miniſtrare nō poſsint. In verbis enim eorum proditur, quod cum docent, quaſi in quodam ſibi videntur ſublimitatis culmine reſidere: eosque quos docent, vt longe infra ſe poſitos, veluti in immo reſpiciunt, quibus nō conſulendo loqui, ſed vix dominando dignantur. Recte autē his per Prophetam Dominus dicit. Vos autem cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia; cum auſteritate enim, & potentia imperant, qui ſubditos ſuos nō tranquille ratiocinando corrigere, ſed aſpere inflectere nominando feſtinant. At contra

tra vera doctrina tanto vehementius hoc elationis vitiũ fugit per cogitationem: quãto ardentius verborum ſuorum iaculis ipſum magiſtrũ elationis inſequitur. Cauet enim, ne eum magis elatis moribus prædicet, quem in corde audientium ſacris ſermonibus inſectatur.

Ecce quare litigioſi prohibentur in Epiſcopos ordinari. Eſt & alia cauſa huius prohibitionis. Litigioſi namque vel adulationibus animos Principum ſibi conciliant; vel fratribus ſuis detrahendo, infamiæ notam ingerunt; vel inter fratres diſcordiam ſeminando, ſeditionem nunquam facere ceſſant: quæ omnia in prælatis damnabilia eſſe probantur.

Vnde Greg. ſcribit in moralibus lib. 18. par. 4. 3. c. ad

c. 27. Iob. cap. 2. diſt. 46.

Sunt nonnulli, qui malefacto hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur, væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis. Ad hoc quippe puluillus ponitur, vt mollius quieſcatur. Quiſquis ergo male agentibus adulatur, puluillum ſub capite, vel cubito iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus mollitur quieſcat. Hinc rurſum ſcriptum eſt. Ipſe ædificabat parietem, illi autem lineabãt eum: parietis quippe nomine peccati duritia deſignatur. Ædificare ergo parietem, eſt contra ſe quempiam obſtacula peccati conſtruere,

re, ſed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, vt quod illi peruerſe agentes ædificant: ipſi adulantes quaſi nitidum reddant. Sed ſanctus vir ſicut mala de bonis non æſtimat ita iudicare bona de malis recuſat, dicens. Abſit à me, vt iuſtos vos iudicem; donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.

Pro declaratione huius reg. Notãdum eſt ſecundum Turrecr. 46. diſt. in princ. quod litigioſus duobus de cauſis prohibetur ordinari.

Prima eſt vitium, quod cõſiſtit in doctrina prædicationis, quia cum talis ſolet eſſe ſuperbus, & arrogans, neſcit humiliter docere, vnde ſubditi eius doctrinam audire recuſant, & hoc vitium magiſter eſſequitur in pri-

mo.c. authoritate Greg.

Secunda cauſa eſt vitium, quod eſt in ſtatu conuerſatio nis, quia litigioſus ſolet eſſe adulator, proditor, detra-ctor, infamator, maledicens, inuidens, ſcurrilis, ad iniuriã propriam vlciſcendam faci-lis, quæ ſingula vitia in Præla tis authoritate canonica dã-nantur, & de ſingulis magi-ſter ſubijcit per ordinẽ poſt primum c. vt manifeſtè pa-tet, vbi nota, quod magiſter Gratianus ferè per totam iſtam d. intendit argumenta-ri à maiori. Si enim ſingula talia vitia repellunt ordina-tum, ergo multo fortius ordi nandum multa.n. impediunt ordinandum, quæ non deij-ciunt ordinatum. Secundum Hug. Dicet ergo oportet or dinãdum non eſſe litigioſum, id eſt qui ſoleat hoc facere, frequen-

frequentia enim, & facultas, ac conſuetudo hic notantur. Frequens enim, & facilis con ſuetus ad rixas, & contentio nes faciendas eſſe non debet, qui debet eſſe mitis ad omnes, vbi ſunt aliqua notanda. Primum eſt, iuxta Sanct. Tho. in 2. 2. queſt. 116. art. 1. quod propriè litigium in verbis conſiſtit, cum ſcilicet vnus verbis alterius contradicit. In qua quidem contradictione duo poſſunt attendi. Quãdoque enim contingit contradictio propter iniuriam dicentis, cui contradicens conſentire recuſat, propter defectum amoris, animos vin centis, & hoc videtur ad diſcordiam pertinere charitati contrariam. Quandoque vero contradictio oritur ratione perſonæ, quam aliquis contriſtare non veretur; &

ſic fit litigium, quod affabilitatio opponitur, ad quam pertinet delectabiliter alijs cõuiuere. Vnde Philoſophus 4. ethicorum dicit quod illi, qui ad omnia contrariantur, cauſa cuius, quod eſt contriſtare, nec quodcunque curantes diſcoli, & litigioſi vocantur.

Secundum notandũ, quod litigium inuenitur in ſcriptura prouenire ex multis, quandoque enim ex ſuperbia, ſicut inter ſuperbos, qui ſicut leones non poſſunt ſimul cõmorari in antro vno, ſed litigant. Ita ſimul pacifice cõmorari non poſſunt. Prouerbiorum. 13. Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt, & maxime quidem arrogantes, qui pertinaciter volunt defendere opiniones ſuas, & litigant etiam ſi ſint ineptè. Et ideo

in-

inquit Apoſt. 2. ad Tim. 2. ſtultas, & ſine diſciplina queſtiones deuita, ſciens quod generant lites. Vnde Philoſopus 2. rectoricæ dicit nos diligimus delectabiles, & ſequitur. Tales ſunt homines tractabiles, qui non argutu- ri peccatorum, nec litigioſi.

Secundo quandoque litigium naſcitur ex iracundia, ſicut fit inter iracundos, qui ſemper volunt rixari, ſicut ſunt multi, velut canes, qui continue latrant, & neſciunt quare.

Tertio litigiũ oritur, quan doque ex impatientia, ſicut contingit inter impatientes, qui ſicut æquus recalcitrans nolunt aliquid patienter ſub ſtinere, ſicut ſunt aliqui, quos diſciplinare eſt impoſsibile, vt dicit Philoſophus. 5. politico-

liticorum. Ideo dicitur Eccleſiaſtici 8. Non litiges cum homine linguato, & non inſtruas in ignem linguã eius.

Quarto litigium, quoniam naſcitur ex auaritia ſicut fit inter cupidos, qui ex cupiditate ad inuicem litigant, ſicut duo canes pro vno oſſe, propter quod inquit Seneca. Conuenientiſsime viuerent homines, ſi tollerentur iſta duo pronomina, meum, & tuum.

Tertio notandum quod multiplici de cauſa: præter ſuperius aſsignatas prohibetur ne ordinandus ſit itigioſus. prima eſt, quam tangit Gregor. in paſtorali ſic dicens. Non litigioſum ideſt non linguam ad vitium relaxet epiſcopus, ne per eandẽ linguam per quam laudes refert Deo, & diuina libat ſacri

ficia

ficia labium venena profe-rat, quia non debet de ore Epiſcopi benedictio ſimul, & maledictio egredi.

Secunda cauſa eſt, quia oportet epiſcopum mitem, & humilem eſſe, cum epiſcopis dicit Saluator. Mat. 11. Diſcite à me, qui mitis ſum, & humilis corde, litigioſi autē non ſunt mites, ſed elati, & ſuperbi. Vnde non ſunt apti ad ſeruitium Dei.

Tertio vt inquit Apoſt. 2. ad Titum 2. Oportet ſeruum Dei non litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes patientē, cum modeſtia corripiētem.

Quarta ratio, quia vt dicit Auguſt. nihil eſt ſimillius actibus Dæmonum, quam litigare; vnde ſeruuos Diaboli, non Dei ſe oſtendunt, qui litigant ſecundum illud. 2. ad Tim. 2. iam dictum eſt, opor-

tet ſeruum Dei &c.

Quinta cauſa eſt, quia litigare eſt officium contemptibilis perſonę. 11. q. 1. §. ex his.

Sexta ratio, quia maxime ad officium talium promouendorum ſpectat diſcordes ad concordiam pacis reuocare, exemplo eius, qui eſt pax noſtra qui fecit vtranque vnum. 39. diſt. §. 1. ad hoc autem non eſt idoneus litigioſus, cum talis potius prouocet pacificos ad diſcordiam.

Notandum eſt etiam ſecundum Turrecr. dict. loco.

Quo prælati litigioſi comparãtur ruſticis; primo quia ruſtici ſæpè verſantur in litigijs, & præcipuè ſi ſunt promoti ad magna, vnde Claudianus. Aſperius nihil eſt, humili cum ſurgit ad alta; ſecũdo quia litigioſus plus vacat exteriori occupationi, quam do-

doctrinæ, & lectioni, vnde merito inter ruſticos comparatur; tertio quia litigioſo abducitur intellectus, & minoratur intelligentia, vt in ruſticis, vnde homo cum in honore ſit non intelligit litigio perturbante, vt prouerb. 18. labia ſtulti immiſcent ſe rixis, & Seneca dicit, quod muliebre eſt litigare; quarta quia ſicut ruſtici ſunt duri, ita litigio oritur duris, & ſæua, & indomabilis duricies, & crudelis, quia non flectitur ad pacem litigioſus, vnde Pſalm. 119. cum his qui oderunt pacem eram pacificus, cum loquebar illis impugnabant me gratis &c.

De hoc vitio litigij vide quæ dixi in ſumma pec. cap. p. 1. quæſt. 21. tit. 3. & par. 1. tit. 1. q, 20. Autor.

Promouendus autẽ non ſolum

lum non debet eſſe litigioſus in ſe, ideſt exercere litigia, ſed nec debet ea amare in alijs, immo diſcordantes, & litigioſos debet ad concordiam reuocare.

Vnde Gratian. 90. diſtinct. in princ.

Litigioſus quoque prohibetur ordinari, quia qui ſua poteſtate diſcordantes ad concordiam debet attrahere, qui oblationes diſsidentium prohibetur recipere nequaquam litigandi facilitate alios ad diſsidium debet prouocare, vnde in Concil. Cartag. 4. c. 59. c. 1. 90. diſt.

Diſcordantes clericos epiſcopus, vel ratione, vel poteſtate ad concordiam trahat, & ibidē. c. 25. in c. 6. 90. diſt.

Diſsidentes Epiſcopus, ſi non timor Dei, ſynodus reconciliet, & in c. 25. d. Conc.

4. Car-

4. Carthag. c. ſtudendum. 90. diſt.

Studendum eſt epiſcopis, vt diſsidētes fratres, ſiue clericos, ſiue laycos ad pacem magis, quā ad iudicium coerceant.

Cap. XI.

OPortet quoque Epiſcopum non eſſe cupidum, quia tales facile à iuſto deuiarent. Gratian. 43. diſtinct. in princ. S. Ant. §. 11.

Pro huius reg. declaratione notandum eſt ſecundum Turrecr. in d. loco quod cupiditas alia eſt honoris dignitatis, alia eſt temporalis gloriæ, alia eſt pecuniæ, ſiue temporalis ſubſtantiæ, ſiue conſiſtat in pertinacia retinendi, ſiue in ſolicitudine acquirendi, vltra quem debeat etiam

illicitè. Hæc autem cupiditas quandoque certis argumentis deprchenditur, ſcilicet cum quis vſuris, furtis, rapinis, lucris temporalibus inuigilat: Hæc & ſimilia certa argumenta ſunt, quod quis eſt cupidus, vel in his, vel in aliquo horum deprehẽſus, & ordinandus repellitur, & ordinatus deijcitur, quandoq; ſolum prȩſumptionibus innoteſcit, puta ſi quem videris debilem in ſpiritualibus, fortem in temporalibus, & pro illis ſcilicet ſpiritualibus, nec modicum laborem ſuſtinere, pro his ſcilicet temporalibus acquirendis, vel retinendis aſsiduè vltra modum fatigari, ſi quem etiam videris ſuperflua retinere, opera miſericordiæ non frequentare, præſumitur, quod ſit cupidus, & pro his repellitur or-

dinan-

dinandus, ſed ordinatus non deponitur, niſi fortè admonitus ceſſare noluerit. Qui ergo vult ordinari, & præſertim in Epiſcopum, & ab omni prædicta, & conſimili cupiditate debet alienus eſſe.

Iuxta prædicta quæro vtrum conuenienter cupiditas dicatur radix omnium malorum?

RESpond. ſecundum Turrecr. in c. bonorum 47. diſt. quod ſecundum quoſdam cupiditas dicitur tripliciter, quãdoque pro auaritia ſecundũ quod eſt ſpeciale peccatũ. ſ. inordinatus amor habendi diuitias, quandoque prout eſt genus omniũ peccatorũ, ſecundũ quod importat inordinatũ appetitũ rei temporalis, & hoc includitur

in

in omni peccato, quia eſt cõuerſio ad bonum commutabile, ſed ſic non eſt radix, ſed genus omnium peccatorum. Tertio modo dicitur quædã inordinatio animi ad concupiſcendum bona temporalia inordinatè, & hæc eſt habitualis paſsio, ſeu pronitas ad paſsionem ex originali peccato relicta, & non peccatũ in actu, ſed radix omniũ peccatorum; dicitur autem auaritia radix omnium malorũ: omnia enim conſiſtunt in appetitu: & ideo origo peccatorum eſt ſecundum originẽ appetibilium: Origo appetibiliũ procedit ex fine, & ideo quantum aliquod peccatum habet finem magis deſiderabilem, tãto eſt prius, finis autem alicuius peccati eſt deſiderabilis propter duo, propter ſe ipſum; & hoc eſt excellentiſ-

lentiſsimũ, quia ad hoc vult homo bonum illud, vt excellat, & hæc ſuperbia: & ideò ſuperbia dicitur initium omnium malorum. Item propter aliud, & hoc eſt quod valet ad omnia, & huiuſmodi ſunt diuitię, quia per hęc credunt ſe habere omnia: & ex iſta parte auaritia dicitur radix omnium malorum: ſuperbia ergo eſt ſicut initium, & auaritia radix omnium malorum. De his vide quæ dixi in ſumma peccat. cap. in tit. de ſuperbia, & in tit. de auaritia & in ſumma Decreti diſt. 47. art. 1. Autor.

Faciunt ad hæc quæ dicuntur.

Primo per Leonem epiſt. 51. c. virum. 47. diſt.

Virum catholicum, & præcipuè Domini ſacerdotem, ſicut nullo errore implicari,

ita

ita nulla oportet cupiditate violari, dicente ſancta ſcriptura. Poſt concupiſcentias ſuas non eas: Mens enim potẽtiæ auida, nec abſtinere nouit à vetitis, nec gaudere conceſsis, nec pietati adhibere conſenſum.

Secundo Greg. lib. 7. epiſt. 110. c. bonorum. 47. diſt.

Bonorum auctori inherere aliter non valemus, niſi cupiditatem à nobis (quæ omnium malorum radix eſt) abſcïndamus.

Tertio Ambr. ſerm. 81. c. ſicut. 47. diſt.

Sicut ij qui per inſaniam mente tranſlati ſunt, nõ iam res ipſas, ſed paſsionis ſuæ phantaſias vident, ita etiam mens auari ſemel vinculis cupiditatis adſtricta ſemper aurum, ſemper argẽtum videt, ſemper reditus cõputat, gra-

tius

tius aurũ intuetur, quam ſolẽ ipſa eius oratio, & ſupplicatio ad Dominũ aurũ quęrit.

Interdum etiam vſurę arte nequiſsima ex ipſo auro aurũ naſcitur, ſed quid agis? Nec ſatietas vnquam, nec finis aderit cupiditati.

Quarto Grat. §. vlt. 86. diſt.

Prohibetur etiam Epiſcopus turpis lucri eſſe cupidus, ne aliquo in honeſto negotio victum, vel cętera ſibi neceſſaria quærat, quod generaliter de omnibus diuino cultui mancipatis, ideſt clericis, & monachis intelligi oportet.

Cap. XII.

S. Ant. §. 12.

DOmui quoque ſuæ oportet Epiſcopum bene eſſe præpoſitum, vt quędã inde quodammodo futurę diſpenſationis ãrgumenta ſumãtur.

Indiſpenſatione verò eccleſiæ hanc regulam obſeruandam nouerit, vt nulli quantumlibet exercitatæ perſonę duo ſimul officia; neque ſecularibus viris res eccleſiaſticas gubernandas committat. Grat. 89. diſt. in princ.

Idem 47. diſt. in §. Neceſſe.

Neceſſe eſt etiam, vt ille qui ordinandus eſt, (ſuæ domui ſit bene prępoſitus) ideſt ſi in laycali habitu vxorē habuit, vel filios à vitijs ad virtutũ ſtudia, & verbo, & exemplo prouocet, vt quod poſtea præcepturus eſt populis, prius exigat à domeſticis.

Epheſ. 5. Vnde Apoſt. Epheſij ſcribit, vt vxores ſuas, ſicut corpora diligant, & filios ſuos non ad iracundiam prouocent, ſed enutriant illos in omni diſciplina, & correctione Domini: vnde cum Paulus ad Ti-

1. Tim. 3.

mo-

motheum ſcribens dixiſſet. Suę domui benè prępoſitum: ſtatim ſubiunxit, habentem ſibi filios ſubditos in omni caſtitate, non in accuſatione luxuriæ, non enim talium cohabitator frontem habet alios redarguendi.

Vnde de Beato Iob legitur, quod pro filijs ſuis quotidiana offerebat Deo ſacrificia, offerens holocauſta per ſingulos, quos tanta charitatis perfectione in vnum cõſtrinxit, vt quiſque eorum in ſuo die conuiuium fratribus pararet, & ad epulandum ſecum tres ſorores ſuas pariter inuitaret. Iob. 1.

Quod quia Heli facere diſſimulauit, ac falſa pietate ſuperatus delinquentes filios ferire noluit (ſicut in lib. Regum legitur) apud diſtrictum iudicem ſemetipſum cum fi- 1. Reg. 2.

lijs crudeli damnatione percuſsit, vnde ei diuina voce dicitur. Honoraſti filios tuos magis, quam me.

Hinc etiam Dauid erga filios benignitatem non diſciplinæ ſeueritatem exercens,
1.Reg. 13. eorum iuuentutem experimento didicit perniciosam, quorum pueritiam vagam licentiam permiſit eſſe voluptuoſam; vnus quppe eorum ſororem ſuam ſtupro corrum-
2.Reg. 18. pens à fratre eius Abſalone, videlicet inter epulas, quas fratribus ſuis parauerat fraudolēter obtruncatus eſt. Abſalon verò poſt quam veniam à patre obtinuit, de regno illum expulit, & ad cō cubinas eius ingreſſus eſt, demum per inuia deſerti patrem perſequens, quærcui inhæſit, atque ita ſuſpenſus interijt.

Hinc etiam Paulus ad Timotheum ſcribit dicens, (qui ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Iure ergo qui domui ſuę neſcit præeſſe, in Epiſcopum ordinari prohibetur, quia qui iure minima, de qua ſibi familiarior debet cura ineſſe fidelis nō eſt, quomodo in eccleſia Dei (vbi tot ſunt, & alieni) ſolicitã diligentiam adhibebit? vnde Hieronymus nō enim iuſtus polluitur ex filiorum vitijs, ſed libertas ab Apoſtolo Eccleſiæ principi reſeruatur, vt talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehẽdere; quod tunc fiet, ſi non erit, quod ſibi imputetur, cū enim greſſus hominis à Domino dirigantur, nec ſint in homine eius viæ corripere

1. The. 5.

quidem poteſt, corrigere autem non valet, pulſare poteſt non aperire, manus comprimere, non animum mutare, Gratian. 47. diſt. §. 4. vnde
Aug. Auguſt. in epiſt. 137.

Quantumlibet vigilet diſciplina domus meæ, homo ſum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt
Men. 9. domus mea, melior ſit quam arca Noe, vbi tamen inter octo homines vnus reprobus inuentus eſt, aut melior ſit
Gen. 21. quam domus Abahæ, vbi dictum eſt (eiice ancillam, & filium eius,) aut melior ſit quā domum Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt (Iacob di
Mal. 1. lexi, Eſau autem odio habui.

Cap. XIII.

S. Ant. §. 13.

PRohibentur etiam Neophiti in epiſcopos ordinari,

ri, vt qui heri erat cathecumenus, hodie non fiat epiſcopus, qui heri erat in theatro, hodie nõ ſedeat in eccleſia, qui veſpere erat in circo, hodie non miniſtret altario, qui dudum erat fautor hiſtrionum, hodie non ſit conſecrator virginum. Cauſa autem huius prohibitionis eſt ſecundum Apoſtolum, ne elatus in ſuperbiam, tanquàm religio Chriſtiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli. Momentaneus namque ſacerdos neſcit habere humilitatem, obſeruare modos perſonarum, vel ſe contemnere, non ieiunauit, non fleuit, non ſe correxit, nõ pauperibus erogauit. In arrogantiam (quæ eſt ruina diaboli) incidunt, qui puncto horæ, nec dum diſcipuli fiunt magiſtri, & ſicut Innocentius Epiſt 2. ad Aur.

ait. Miſerum eſt eum fieri magiſtrum, qui nec dum didicit eſſe diſcipulus. Grat. 48. diſt.

Vnde in Nicæno Conc. c. 2. legitur. c. quoniam. 48. diſt.

Quoniam multa ſiue per neceſſitatem, ſiue ex quacunque cauſa contra regulam geſta ſunt, ita vt homines ex vita gentili nuper adhuc catechizati, vel inſtructi ſtatim ad ſpiritualem baptiſmum veniſſent, & cōtinuo cum baptizati, etiam ad epiſcopatum, vel præsbyterium prouecti ſunt, rectè igitur viſum eſt de cætero nihil tale debere fieri. Nam, & tempore opus eſt, vt ſit cathecumenus, & poſt baptiſmum multa probatione indiget; euidēs namque eſt Apoſtolicum pręceptum. Non Neophytum:

Neophyti verò hodie ap-

pellantur, propoſitum ſacrę religionis nouiter aſſumentes, Grat. in §. Neophyti. 48. diſt. vnde Greg. libr. 7. epiſt. 110. c. ſicut diſt. 48.

Sicut Neophytus tunc dicebatur, qui initio ſanctæ fidei erat eruditione plantatus; ſic modo Neophytus habendus eſt, qui repente in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores ſacros irrepſerit. Ordinatè ergo ad ordines accedendum eſt. Nã caſum appetit, qui ad ſummi loci faſtigia poſtpoſitis gradibus per abrupta quærit aſcenſum. Scimus autẽ, quod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, niſi à nouitatis ſuæ humore ſiccentur: ne ſi ante pondera, quam ſolidentur accipiãt cunctam ſimul fabricam ad terram deponant.

Iuxta

Iuxta prædicta quæro vtrũ conuenienter prohibeatur Neophytus, ne promoueatur.

RESpond. dicendum ſecundum Turrecr. 48. diſt. in princ.

Quod Neophytus dicitur nouellus in fide, à neos quod eſt nouum, & phytos quod eſt fides, vnde Neophytus nouus ſiue nouellus in fide, vel nuper renatus, & nouitas iſta intelligenda eſt de propinqua nouitate temporis, vnde dicitur in textu, qui heri erat Cathecumenus, hodie nõ fiat epiſcopus, & qui heri erat in theatro, hodie non ſedeat in Eccleſia, ſcilicet tanquã prælatus poſsideat, ex qua deſcriptione conuincitur ſtultitia, & malitia eorum, qui ex Iudaiſmo, aut Gentilitate ad fidem

dem Chriſti conuerſos, qui à multo iam tempore fuerunt baptiſmo renati, improperãdo vocant Neophytos, cum falſo tales dicantur, cum nõ ſint noui in fide, ſed antiqui.

Secundo etiam conuincitur error eorum, qui etiam filios conuerſorum, licet à natiuitate fuerint Chriſti baptiſmo renati, nec aliam vnquã fidem habuerunt, quam Chriſti, vocare nõ verentur etiam Neophytos, ſed certè malitia excęcauit mẽtes eorum.

Secundo notandũ eſt, quod Neophytus etiã dicitur qui propoſitum religionis nuper aſſumpſit, vt dictum eſt ſupra Quibus habitis reſpondetur quod conuenienter inſtitutũ eſt, vt regulariter Neophyti non promoueantur, quæ concluſio probatur primo auctoritate Apoſtoli iam relata, ſecundo

cundo Act. 1. Oportet eligere vnum ex his, qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Ieſus.

Huius autem prohibitionis duplex cauſa aſsignatur, prima ne elatus in ſuperbiã putans quod religio Chriſtiana plurimum eo egeret, incidat in ruinam diaboli: ſecunda quia nondum eſt expertus ſtatum Eccleſiæ, & ideo neſcit eſſe grauis, & contemperare ſe ſecundum diuerſitatem perſonarum ſubditarum ſibi, de quibus dicit Ambroſius. Non Neophytum hoc eſt qui nuper ad fidem ex gentilitate venit, aut certè ex malitia ad clericatus officium eſt ſociatus, hi enim nõ tam paſsim ſacerdotalem accipiant gradum ne elati per ſuperbiam in iudi-

cium

cium incidant, & in laqueum Diaboli, quia quod longo tempore minimè diſcunt in paruo tempore ſeruare non poſſunt; Eſt tamen notandum, quod licet generaliter, tales ordinari prohibeantur, tamen ſi quis Neophytus talis fuerit, vt meritò ſuæ perfectionis clericalem vitam tranſcendat, tunc à ſacris ordinibus, & epiſcopatu, non prohibetur, ſicut patet de S. Ambroſio.

FINIS.

Errata hoc modo legantur.

IMpetiginem	verſ. 7	pag. 42
circa	23	64
vtrum	1	47
intentione	17	100
neſciens	5	102
ſtudere	22	108
recipit	3	138
quendam	22	138
ab hac	10	129
famulatur	10	174
vbi	8	182
ad bonum	9	213
magiſterium	19	217
prophetam	14	220
reddituri	16	228
ad verticem	8	229
religione	16	245
mordeantur	19	248
manſuetudinis	6	251
ipſe	14	256
affabilitati	1	276